

1720.

1. Bochmer, Iohannes Christopherus: *Programma, quo natus
num de fatis litterariorum anni superioris a ... Pauli.
Gottlieb Wechafis. - Academiam indicit.*
2. Engelbrecht, Christoph. Ioseph. Consalvi: *Messanae de fatis
iurisprudentiae jis librique administracionis, Romanae
publicae et historicae iuris commentationibus praenotatum,*
- 3^o=² Engelbrecht, Dr. Ioseph. Wilhelmus: *De conservatoribus in S.Q.
imperio.*
4. Engelbrecht, Christoph. Ioseph. Consalvi: *De iustitia asylorum
immunitatisque ecclesiarum ad criminis dolosa excep-
tione et potestate principis vel abusum asylorum
follentis vel asyle plene abscondi.*
5. Goebel, Dr. W. C. : *De Tutele.*
6. Goebel, Dr. Wilhelmus: *De jure Augustini et
Augustae domus Brunsvicensis in contumam Principium*

7. Gudenus, Henricus Postepius : Observations miscella
neae en Historia Bonifacii selectae

8. Huldenberg, Georg Lind. Premonstratensis : De aequitatis
aliisque legali iuris gentium artibus in gentium contro
versiis pacis humanae causas interponendo.

9. Leyserus, Augustinus : De superpositione iuridica in
fro et et extra forum obris.

10 Leyserus, Augustinus : De ferdis Brandenburcensibus
et Lumburgicis .

16

v

6462. 1720, 9 II
10

DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
SVPERSTITIONE
IVRIDICA IN FORO
ET EXTRA FORVM OBVIA

Som Juristischen Überglauben
in und außer Gericht.

QVAM
PRAE S I D E
AVGVSTINO LEYSERO
ICto T. T. ACADEMiae IVLIAE PRORECTORI ORDINIS
SVI IAM DECANO ET IN TRIBVNALI
GVELPHICO ADSESSORE
PRO DIGNITATE DOCTORALI
CONSEQUENDA
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
DIE XII. DECEMBR. AN. MDCCXX.
PROPOSIT
AVCTOR
GOTTLOB WOHLGEMUTH ROTHE
GORL. LVSAT. ADVOCAT. PROVINC. ORD. IVR.

VITEMBERGAE,
RECVSA IN OFFICINA HAKIANA. (II)
MDCCXXXIX.

DISSESTITIO IAPHETI IN CARAV

БІЛОСІРДІЯ
ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

ІАПЕТІЯ
ІАПЕТІЯ

PROOEMIVM.

Celebris vox est in scholis Theologorum & vulgari sermone Superstitione, translata deinceps ad Jurisprudentiam & vitam civilem. Non enim in eruditis solum celeberrimorum ICtorum libris haud raro superstitionem aliquam, & circa jus constitutum, & circa processuale notatam legimus, quin & a multis acriter saepe perstringi cernimus: verum & in foro cordati Judices causarumque Patroni de illa conqueruntur: quamobrem cogitanti mibi bujus in mentem venit, ut meam inauguralis loco speciminis qualemcumque Tibi, Lector benevole, operam sisterem, ac rem ipsam variis exemplis illustratam Tuo arbitratui subjicerem. Facile quidem foret, integrum de hac re volumen compilare, sed jamjam nonnulla tantum, prout succurrent, exempla per lustrabo. Nam ex omnibus juris articulis quædam colligere, nimis prolixum esset, ex paucis reliqua, velut ex ingle leonem, quilibet cordatus judicabit. Ne vero citra ordinem decurrat mea tractatio, Cap. I. de Superstitione juridica in genere, Cap. II. de Superstitione juridica circa veritatem legum, atque denique Cap. III. de Superstitione juridica circa Interpretationem & Applicationem legum differam.

CAPVT I. DE SVPERSTITIONE JURIDI- CA IN GENERE.

§. I.

Religio veritatis vox est: supersticio erroris & falsi: alterum laudis, alterum vitii nomen est. Illius in origines aut interpretationem inquirere jam nostrum non est: hujusvero. Nomen a Theologis ICti mutuum sumserunt, hinc primo quidem in sensu proprio, quid sit superstitionis terminus, evolvendum erit. Nonnullos gentilium religionem a superstitione discrevisse, id vel CICERONIS testimonio constat, qui non inepte in primo *de Natura Deorum* religionem quamcunque anilem, in qua inest timor inanis Deorum, & ineptam superstitionem appellavit, imbecillis namque animi & anilis esse superstitionem ait in secundo *de Divinat.* sed & nominis rationem, unde manarit, in conjugato vocabulo ostendit, L. 2. *de Natur. Deor.* cap. 28. Non enim Philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt, nam, qui rotos dies precabantur & immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiones sunt appellati, quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum Deorum pertinenter, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo &c.

§. II.

Propius ad rem accedunt, quae LACTANTIVS Ciceronem reprehendens in 4. *Instit. Divin.* tradit. Qui superstitem defunctorum memoriam religioso cultu prosequabantur,

bantur, quique parentibus suis superstites colebant imagines eorum domi suæ tanquam Deos penates, illi potius superstitionis appellati fuere: nam qui novos sibi ritus adsumserant, aut Deorum vice mortuis immolabant, hos superstitionis; eos vero, qui publicos & antiquos Deos colerent, religiosos dixerunt. Bene proinde sci-enterque Magnus Autor TIT. LIVIVS, superstitione animos contabescere sentit fere, ubi corpora morbo aut homines calamitatibus anguntur: itaque animi infirmitatem metu ingravescensem cum pia astutorum fraude conjunxit & genus superstitionis exinde quasi ab utroque parente derivavit. Videantur verba L. 4. c. 30. Siccitate eo anno plurimum laboratum est &c. Strage pecorum vulgari contactu in homines morbi & primo in agrestes ingruerant, servitiaque, urbs deinde impletur. Nec corpora modo affecta rabe, sed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa, invasit; novos ritus sacrificando, varicinando inferentibus in domos, quibus quæstui sunt capti superstitione animi. Itemque VIRGILIVS Æneid. 8. v. 187. clare satis eundem in sensum exposuit:

Una supersticio, veterumque ignara Deorum.

§. III.

Verum antiqua cedant: cedant inquam novis; ad recentiora quippe properamus. Nomen *Patribus* & *Theologorum scolis* mutuo acceptum ferimus: illos ergo duobus saltem aut tribus, ut ajunt, verbis audiamus. Terminum esse generaliorem, usumque termini variare facile omnes fatentur. Sed potiora hic saltem delibamus. Est igitur illis supersticio (1) Cultus

A 3

Deo

Deo exhibitus, neque tamen ab ipso præscriptus, quem alias græco nomine ἐθελοθρησκεία compellant (2) Externus cultus omnis religiosus, si internus desit, quippe qui anima quasi vitaque est prioris. Imprimis autem (3) cultus, qui rebus inanimatis aut defunctis tribuitur (4) Exacta quævis rerum inanum aut levidensium observatio, quas Deus nullibi a nobis exigit. (5) Inanes mentis scrupuli circa actus in se licitos & indifferentes, vel etiam (6) mentis falsi de Deo rebusque divinis aut erronei conceptus, quibus sumnum Numen aut offendi frustra metuunt, aut placare rursus tricis & apinis conantur. Verbo: vel circa objectum vel circa modum a recto Numinis cultu aberrat *supersticio*, ac nihil aliud est, quam præpostera atque perversa colendi Deum ratio. Vid. Magnif. *Buddeus in Tract. de Superstitione & Atheismo cap. 8.*

§. IV.

Verum enim vero de *Superstitione* equidem *Juridica*, si qui, pauci, tum & pauca monuerunt: interea dubium non est, quin & intuitu Jurisprudentiae multa hic obveniant, quæ, si rite ponderes, & nomen superstitionis & ulteriore inquisitionem probe mereantur. Quemadmodum enim supersticio, proprie sic dicta, cultus quidam est, sed perversus: ita quoque legum est quædam æstimatio, sed perversa. Supersticio in sensu proprio accepta non verum Deum, sed præter hunc, aliud quid, velut sidera aut res creatas alias etiam colit, Deo ea adscribit, quæ ei non convenient, mandatum divinum se sequi existimat, sed non rite illud intelligit: cultum quendam Numinis sibi fingit, qui nullo

nullo mandato divino nititur: sic supersticio Juridica saepissime non veram legem, sed aliud quid, legis instar observat, legibus ea tribuit, qua illis non consentanea sunt, vel leges, nulla habita æquitatis & prudentiae ratione, explicat, aut, reliquis bene se habentibus, in applicatione tamen regularum civilium perversa in leges observantia impingit, ut adeo erroneam hanc legum aestimationem non immerito *Superstitionem Juridicam* appellaveris, quippe cui probe convenit cum superstitione proprie sic dicta, & quæ in eo saltum differt, quod, cum illa in contemptum veri, quod colendum est, objecti vergat, hæc quidem suum objectum certo quodam modo negligat, alias illud nimis h.e. pluris, quam ipsa legum indoles, pluris, quam æquitas & utilitas permituit, aestimet, uti ex amplius mox dicendis apparebit.

§. V.

Est igitur *Supersticio Juridica perversa* & *nimia legum aestimatio*. Aestimandæ quidem sunt leges, nec in dubium vocanda earum autoritas, nec debitum illis denegandum est obsequium, sed observandum & illud: *Ne quid nimis*. Vana est opinio, præpostera veneratio, quando quis legem meruit, cum nulla exigit, perversa est & ultra rectam rationem procurrent reverentia, quæ majorem, quam legis alicujus fert indoles, autoritatem ei tribuit, aut, in legibus positivis interpretandis & applicandis, normam legum divinarum & innoxiae utilitatis negligit. Ut ut vero legum naturalium aliquis esse queat & soleat abusus, dum alii solo jure naturali omnia expediri & Rempublicam legibus positivis carere posse sibi persuadent, alii quamvis actionem indifferentem legi

legi obliganti subjiciunt, aut alia ratione superstitionem philosophiam instruunt: frequentior tamen est legum positivarum abusus, ex perversa erga illas veneratione ortus, certe usu magis receptum est, abusum jam indicatum superstitionis titulo notari.

§. VI.

Exserit se illud vitium circa *leges* potissimum *extraneas* ac speciatim *Romanas*; neque tamen a *sacris legum domesticarum* exultat, sed effectus admodum tristes & molestos etiam harum respectu post se relinquit. De cætero dum *leges* nominamus, *connexa h. e. negotia civilia* variaque *institutiona judicialia* & *extrajudicialia*, intuitu quorum *leges* varia disponunt, & qua vice versa intuitu *legum* considerantur, non excludimus. Nec refert, causæ sint *civiles* an *feudales* aut *ecclesiasticae*, eæque *judiciales* an *extrajudiciales*, nam ubique fere aliqua *superstitionis* species occurrere potest & solet. Quin & ab ipso Jure publico non penitus abesse videatur, dum vel *controversiae* illustres a nonnullis ex Jure Romano inepte deciduntur vel verba *legum fundamentalium* captantur & similia. j. Excell. LANGII *Jus publicum Vorbereitung*.

§. VII.

Dixi §. 5, *superstitionem juridicam* venerari aliquid tanquam *legem*, quod lex non sit, *legibusque ea adscribere*, quæ illarum indoli haud congrua sunt. Illud fieri solet, quando meræ consuetudines aut *observatus forenses*, vi obligandi destituti, ex inepto *præjudicio* habentur pro lege vel tacita vel expressa, hoc, quando *Jus aliquod positivum* v. g. pro *universali* & *fundamentalis vendi-*

venditatur aut corruptissima quæque in censum legum utilium referuntur & id genus alia. Illud vero impri-
mis hic admonendum, ad superstitionem interpretationem, cuius itidem antea d. §. mentionem fecimus, & applicationem non quamvis interpretationem & applica-
tionem erroneam pertinere, sed eam tamen, quæ ex
vana quadam de legibus persuasione & coeca in illas
veneratione fieri consuevit. Si enim, quod nonnun-
quam omnino contingit, vel objecti difficultas vel
mentis humanæ imbecillitas obstat, quo minus in ex-
plicatione legum & decisione controversiarum aliquis
rite veretur, tum merito excusationi locus relinquitur,
siquidem in communi hac mortalium imperfectione
nihil ex omni parte beatum esse solet, at rigidiori cen-
sura dignum est, quod ex coeco in leges affectu vana-
qua observantia originem traxit, vitium.

§. VIII.

Cum igitur non una ratione a justo legum pretio
aberrari queat, non unum quoque datur superstitionis
genus. Ad tres tamen species potiores illa revocari
posse. videtur. Prima circa legum veritatem aberrat,
quando aliquid, quod lex non est, lex esse creditur.
Non incongrue huc referri potest ille etiam error, quo
legibus tribuuntur, quæ indeles illarum non capit.
Altera superstitionis species circa interpretationem;
Tertia circa applicationem versatur, quæ posterior tamen
ex priori plerumque fluit aut saltem cum illa conjuncta
est. Quemadmodum autem illæ superstitionis species
se in varias figuræ convertunt, ac non theoriam tan-
tum, sed & praxim male afficiunt, ut impræsentiarum

B

pleniū

pleniū hæc omnia exponere nimis prolixum foret: ita de iis, quæ magis ad p̄m̄xin faciunt, aut eam penitus ingrediuntur, iis, quæ non ad forum, sed ad scholas forte spectant, breviter tactis, hic distlerere visum est.

§. IX.

Cæterum dici vix potest, quantam negotiis tum judicialibus, tum extrajudicialibus molestiam creet hæc de qua loquimur supersticio, quantaque damna inferat. Per eandem enim vanissimæ disputationes excitantur, homines velut laqueis irretiuntur, multa civium negotia, quæ bonis rationibus sustineri poterant, irrita reduntur, e contrario, ubi salva esse poterat agentium libertas, obligationes imponuntur, jura, bona fide quæsita, auferuntur quinimo ipsius religionis & officii præcepta nonnunquam violentur, nec alia sæpe causa subest, quam sola supersticio juridica i. e. perversa & ex inepta legum adoratione proveniens persuasio, quæ lex, quæ nunquam adfuit, adesse putatur, explicatio autem legis & applicatio vel æquitati vel prudentiae contraria, mordicus defenditur. Et eam ob causam operæ pretium erit, rem ipsam propius spectare & addita subinde nostra epicrisi superstitionis remedia tentare.

CAPVT. II. DESUPERSTITIONE IVRIDICA CIRCA VERITATEM LEGVM.

§. I.

Prima superstitionis species, in sensu proprio eoque latiori, est *Idololatria*, cum quis non verum Numen, sed aliud quid, velut solem, lunam ceteraque cœli sidera, vel

vel homines aut quasvis res creatas colit; sed & illorum error hoc pertinet, qui Deum non recte cognoscunt, adeoque tribuunt, quæ ei minime tribuenda erant, id quod dogma de transubstantiatione, de purgatorio, similiaque abunde docent. Eadem ferme ratio est superstitionis juridicæ, nam (α) saepè loco legis adorat idolum observantia collegiorum Juridicorum (β) consuetudines etiam alias easque nudas pro legibus tacitis agnoscit, denique (γ) licet vera lex adsit, plus justo saepè tamen eidem tribuere consuevit.

§. II.

Observantia nomen, uti hic accipitur, barbara vox est, sed nomen re sua condignum, uti deinceps videbimus. Est autem, ut vulgo supponitur, *praxis iuridica præsens ususque recens seu modernus, qui colligitur ex præjudiciis sive rebus judicatis.* v. Excell. GRIBNER. *Dissert. de Observ.* Observantias illas plenissimam habere juris auctoritatem, vim obtinere veritatis & æquiparari Regiæ auctoritati atque permissioni Principis, ac, si vel maxime Juri scripto, naturæ rei & genuinis interpretandi principiis haud convenient, sequendas tamen & sancte servandas esse, communis est Doctorum sententia. j. SCHVRFF. cent. i. consil. 72. num. 20. RIMINALD. v. 2. consil. 125. vers. ita quod licet. DEC. consil. 19. num. 2. Ita profecto sentiunt ipsa Dicasteria, a quibus præjudicia manarunt, ut propria illorum confessio testatur, quando in rationibus decidendi saepè ad solam Antecessorum suique collegii consuetudinem consuetis formulis: Dieweil aber dennoch die mehrern Rechts-Lehrern in den Gedanken stehen; vel: Dieweil aber

aber doch unterschiedene bewehrte Rechts-Lehrer dafür halten, provocant. Ita sentiunt illi ipsi, qui observantias colligunt & publici juris faciunt, ferentes de praetorij judicis judicium, quod non diffiteantur sententiam contrariam veriorem videri, sed aliud servari in foro. Ita sentiunt litigantes & causarum Patroni, dum quotidie ad observantias se referunt. Ita sentiunt legum cultores fere omnes, dum apicem eruditiois juridicæ in prolixa multifariorū præjudiciorū cognitione consistere putant.

§. III.

Supposita igitur hac superstitione, novæ leges sine suffragio Principis ab observantia aliis obtruduntur, utiles constitutiones abrogantur, leges latæ & negotia civilia contra mentem agentium explicantur, & in locum horum omnium substituitur, quidnam? Observantia. Per exempla iis, quæ dixi, fidem facere, non erit difficile. Vi solius observantiae exprimenda est in mandatis judicialibus clausula rati, qua deficiente, mandati defectus arguitur & alia legitimatio injungitur. v. BERGER. *Oecon. Jur. L. 4. t. 9. §. 2. not. 1. pag. 963.* Magnif. MENCK. ad O. P. S. Disp. 5. §. 6. Sed clausulam illam omnino supervacuam esse, quis non videt, cum mandans ex natura mandati gesta mandatarii rati habere debeat, & rationabiliter promissio omni mandato tacite per se insit, I. L. 6. *¶ de condit. indebit.* ANDR. RAVCHB. part. 1. quæst. 2. n. 5. & seqq. SCHVLZ. part. 1. process. judic. c. n. n. 47. nec cum jure Romano illa, fatente BERG. & MENCK. l. c. nec Germanico conveniat, cum nullibi hæc solennitas præcepta sit: de Recessu namque Imperii de anno 1512. 2. von den Anwalt. Sachungen §. 1. cui non nulli

SS 10 (50) 13

nulli innituntur, cuilibet primo statim intuitu patet, quod satis obscure locus ille loquatur, neque tamen illam clausulam præceperit, sed dum mandati perspicuitatem commendat, consuetas quasdam formulas simul addiderit, quas historice tantum immisceret, ac in summa præceptum, quod datum est, de iis saltem, quæ ex communis mandatorum indole cognosci nequeunt, intelligendum sit. Hinc etiam Dn. MENCKEN. l. c. dicit, ita a F. J. L. Mens. Febr. 1704. pronunciatum esse, quoad Usum Sax. quem usum Dn. BERGER. l. c. Jur. Saxonicum appellat, claro indicio, usum hunc prolege haberi. Geminum exemplum est, quando, solius observantiae superstitione prætextu, in mandatis, quoad subsignationem, *sigillum insignia continens* exigi, ac nomen literis artificiose implicitis expressum, emittit verzogenen Nahmen complectens, rejici solet. j. SWENDEND. ad Fibig. Proc. pag. 220. MENCK. de Disp. §. 7. ubi præjud. S. C. P. L. Term. Rem. 1705. & RIVIN. ad O. P. S. Tit. 7. Enunc. 21. ubi præjud. S. L. Mens. Aug. 1690. BERG. Elec. Discept. Forens. pag. 237. Quid illæ minutiae ad perspicuitatem aut certitudinem mandati? quo jure quave injuria nititur illa scrupulositas, sine causa hominum negotiis molesta? Vere igitur TITIVS in Jur. Priv. L. 12. c. 1. §. 26. quomodo tale instrumentum sive mandatum recte conficiatur, id ex usu judiciorum discendum, nec fortassis negandum, quin ille aliquando, ultra aequitatis præscriptum, sit scrupulosus. Sed nimis prolixum foret singulis observantiis ratione destitutis epierisin addere. Qua lege cautum est, mulierem apud Saxones absque curatore contrahere non valentem, ex mutuo tamen, eo non adhibito, devinciri?

B 3

CARPZ.

CARPZ. p. 2. C. 15. d. 14. Resp. 10. n. 4. RIVIN. ad O. P. S. t. 8. Enunc. 35. omnino nulla, sed observantia v. MENCK. ad O. P. S. Disp. 6. §. 12. Qua lege apud Saxones constitutum est, quod testamentum Principi oblatum & judiciale ab ipso testatore offerri debeat, per procuratorem speciali mandato instructum vero nequeat? nulla prorsus, sed observantia v. TITII Jus Privar. L. 7. c. 3. §. 16. CARPZ. p. 3. c. 3. d. 23. n. 7. STRVV. Ex. 32. tb. 9. STRYK. in not. ad Lauterb. Tit. Qui testam. fac. poss. BERG. Oecon. Jur. L. 2. t. 4. §. 2. p. 337. PISTOR. part. 3. q. 28. BERLICH. part. 3. concl. 4. n. 28. & seqq. Eset procul dubio melius, si L. 19. C. de testam. usu veniret. Partium disputationes non raro ita sunt comparatae, ut tam causa principalis, quam articuli incidentes decisionem requirant, et si vero una sententia utrumque expediri queat, partes etiam hoc petant, attamen sententia, quæ sequitur, non nisi interlocutoria est, ut nova imploratione sententiaque opus sit. Qua lege hoc dictum est? nulla profecto, sed observantia. In summa, si omnes, quæ a superstitione Juritica colluntur observantiae in aliquod volumen compingantur, monstrum horrendum inde oriturum esse, nemo dubitat.

§. IV.

Videamus etiam exempla, ubi leges extraneæ, in quibusdam dicasteriis receptæ, ab aliis vero unius ejusdem Reipublicæ dicasteriis, usu & observantia repudiatæ, vel etiam leges domesticæ curatiæ servandæ, negligetæ sunt. Non erit dividæ, congruum in medium proferre exemplum, licet alibi expressum. Non incelebre aliquod Collegium Mens. Sept. anno 1709. minorem etiam in negotiis judicialibus, tute non dum excusso,

excusso, in integrum restitui posse, observantiae permissu censuit. Verba sententia, huc facientia ita sonant: Ob wohl der l. 13. §. 5. C. de Judic. klare Masse giebt, daß in actibus judicialibus denen minoribus das beneficium restitutionis in integrum nur in subsidium & excussis tutoribus zustatten komme ic. Dieweil aber dennoch die mehrern Rechts-Lehryer in den Gedanken stehen, daß auch in actibus judicialibus einem minori, bevor er seinen curator belanget, die restitutio in integrum nicht zu versagen ic. Pariter, si quis in actione reali possessionem neget ac in negando tamdiu persistat, donec probatio possessionis ex parte actoris facta sit, tunc pena inficiationis est, ut a mendace in actorem res transferatur, dominio licet nondum probato. I. f. ff. de R. V. j. Nov. 18. c. 10. adeo, ut petitorum in possessorium degeneret, & is, qui antea possessionem negaverat, rei vindicationem instituere debeat, si jus aliquod sibi competere existimet. Quae pena mendacii nec hodie cessat BRVNN. ad d. l. n. 7. A Facultate Vitembergensi quoque Mens. Jan. 1700. in eam sententiam pronunciatum est. Sed hanc legem usū fori attendi, negant Lipsiensis. Vid. WERNH. Obs. 150. BERG. Suppl. Tom. II. pag. 297. MENCK. in Theor. & Prax. Pandect. Tit. de Rei Vind. ubi præjud. F. J. L. Mens. Septemb. 1706. Cum alias demissio ac humili cultu Jus Romanum prosequantur Interpretes & leges, in eo contentas, Non-Vlre repudiari non posse credant, nec facile clementum ex ruderibus illius Juris proficuum spernant; qui factum est, ut has aliasque leges dimiserint? At vero tam potens est observantia. Neque leges domesticæ ab illa superstitione debi-

debitum sibi cultum polliceri queunt, uti Magnif. HOR-NIVS in *Disserr. ad f. 8. Resol. Grav.* Tit. von Consistorien-Sachen §. 5. observat. Imo non pauca sunt rescripta & mandata singularia in *Corpus Saxonicum* non relata, quæ secure a quovis ignorantur, adeoque nec usu servantur, donec forte fortuna aut commoda occasione aut causa ita exigente a quoipiam in Forum producta fuerint.

§. V.

Multa quoque sunt observantiae interpretativæ, verum rationibus & æquitate carentis, specimina. Duo saltem hic sufficiant. Qua lege terminus productionis cum testium tum instrumentorum peremptorius est? ut productione in termino præfinito non facta, pena desertionis locum habeat & semel eo præterlapso, mora ne quidem in continenti possit purgari? vid. RIVIN. ad O. P.S.T. 24. En. 8. MENCK. Disp. Proc. 13. §. 17. MYNSING. cent. 2. observat. 99. n. 1. & seqq. GRÆV. lib. 1. præf. conclus. 91. n. 6. FELIN. in cap. liceat causam. 9. n. 15. & seqq. X. de probat. nulla, sed interpretatione usuali extensiva, sicut hoc ostendit BERG. in *Oecon. Jur. L. 4. t. 24. §. 15. not. 9. p. 1084. Elect. Disc. For. p. 737. seqq.* In instrumento garantigatio, cuius tenorem alia manus scripsit, alia subjectum nomen, is, qui manum & sigillum recognoscit, ad diffensionem contentorum regulariter non admittitur; nisi indicia falsi appareant. BERG. in *Suppl. ad Elect. Proc. Tit. 25. Part. 1. Supplem. 6. p. 295. & 543. RIVIN. ad O. P. S. Tit. 25. Enunc. 24. 25. 26. 28. FAB. in Cod. lib. 9. tit. 18. defin. 1. CLAR. in præf. §. ult. quest. 2. n. 4. HEIG. part. i. quest. 39. n. 40. CARPZ. in Proc. Jur. Tit.*

Tit. 23. a. l. n. 45. & 49. SWENDEND. ad Fibig. p. 1125.
Nam usus (1) O. P. S. *Tit. 25. f. 2.* Weil es auch & Ord.
Prov. de Ao. 1555. Tit. versetzte Brief und Siegel, verba:
Dass ein jeder die briefflichen Ueberfunden, welche sein
Gegentheil wieder ihn produciret, wenn sie gleich nicht
seine Hand und Siegel haben, vor sich und durch sei-
nen Mandatarium zu recognosciren, oder in der Person
eydlich zu diffitiren, dass er nemlich weder Hand noch
Siegel kenne, angehalten wird: so lassen wir es bey
solcher eingeführten Gewohnheit bewenden, late h. e.
non saltem de subscriptione nominis, sed materiae sive
tenoris instrumenti, cui subscriptum, interpretatur,
eamque interpretationem (2) in natura instrumenti li-
quidi scopoque actoris, qui in illo se fundat, & cui ad-
missa tenoris diffissione nimis magnum generaretur
præjudicium nec non (3) in natura subscriptionis, quæ
consensum in id, cui subscriptum est, inducat, funda-
tam esse putat. j. CARPZ. Proc. Jur. Tit. 14. art. 2. n. 62. segg.
BERG. Part. 2. Suppl. 5. p. 541. 542. SWENDEND. ad
Fibig. pag. 724. 725. Verum, uti certum est, quod exi-
stente verosimili fraudis indicio ad diffissionem con-
tentorum, recognita manu, admittendus sit reus, quam-
quam etiam in adprobandis falsi præsumptionibus usus
fori sepe sit difficilis: ita putem, in casu, quo alius in-
scio reo tenorem conscripsit, reus subscriptus, tunc sive
indicia falsi adsint, sive non, æque audiendum esse, si
recognita manu tenorem diffiteri velit, quia jure pos-
itivo diffisio contentorum agnita manu neque ex-
presse permitta, neque prohibita, sed tota res rationi-
bus ex natura rei desumitis expedienda est. Nam (1)

C

alter

alter textus saltem jubet executionem celeriter fieri, modum vero agnoscendi scripturam & diffitendi non determinat; alter modum procedendi quidem ostendit, sed generaliter, nec utrum ex parte diffiteri licet, an totum agnoscendum aut diffitendum sit, definit, sic concidit observantiae ratio prima. (2) Nec obstat ratio secunda. Nam si quis & tenorem scriptis & nomen suum subscriptis, tum res & æquitas manifeste exigunt, ut plena fiat recognitio; si neutrum ab ejus manu protectum sit, tum omnimoda diffessio; si vero nomen quidem ille apposuerit sed contenta eo ignaro & invito ab alio scripta sunt, tunc, quoad nomen subscriptum, recognitio, quoad tenorem diffessio fieri debet, cum alias vim velut negotiis humanis faciamus: nam natura objecti repugnat, si partes ejus, auctore & materia diversas, uno eodemque modo tractemus & utrinque uniforme officium a reo exigamus. Hinc non obstat, quod actor, in liquido instrumento spem suam collocans, scopo suo excidat, si, facta contentorum diffessione, reus absolvatur: nam reus jure suo utens actori non facit injuriam; præterea non majus actori generatur præjudicium, si reus diffitetur tenorem & agnoscit subscriptionem, quam si diffitetur utrumque, si quidem indoles processus executivi in genere ita est comparata, ut a perjurio rei saepè victoria dependeat, quin & considerandum est, quod homo, qui factorum conscientia, fide ac religione parum commovetur, eadem facilitate manum sive subscriptionem nominis, qua contenta sive tenorem, diffiteri queat. Multo minus (3) obest ratio dissentientis observantiae tertia, nam nimis

mis violenta est præsumtio, qua is, qui agnovit subscriptionem, etiam censetur adprobasse tenoris conscriptiōnem, non a se, sed ab alio profectam. Qui subscriptiōnem magnoscit, sed contenta diffiteri paratus est, is potius vere, quam falso juratus præsumitur, nam si perjurium committere vellet circa tenorem, quid opus ille haberet recognoscere manum, cum eadem facilitate & manum & contenta inficiari possit, nec ab homine sanæ mentis præsumendum sit, quod altera parte delictum evitare, altera vero ultro in illud ruere velit. Quid igitur obstat, quo minus agnitionem manus & diffisionem contentorum dividi, causis, ex quibus falsum probabiliter colligitur, allegatis, admittamus? Sola supersticio; nam ad observantiam ultimato hic omnes provocant.

§. VI.

Plura desideras exempla? Observantiarum & hujus generis Superstitionum plena sunt omnia. Adhuc unum commemorare libet. An remissio conjugis bigamum a pena ordinaria liberet, ut hoc in adulterio simplici fieri solet, queritur. Usus negat, ideo quod bigamia testante *Constit. Crim. Art. 121.* adulterio gravius delictum sit, & leges de interceßione conjugis ejusque effectu sileant. v. CARPL. P. 2. qu. 66. n. 39. seqq. MATTH. WESENB. in *comm. manuscript. ad Constit. Elect. Sax. 20. part. 4.* quem refert & sequitur DANIEL. MOLL. *ibid. n. 4. vers.* Et hoc quidem casu. Rectius affirmant TITIVS in *Jur. Priv. L. 6. c. 9. f. 16.* BERG. in *Oecon. Jur. pag. 828.* WERNHER. *Obs. 189.* ubi prolixum adducitur præjudicium. Nam bigamia gravius delictum saltem est ex hypothesi papali, qua bigamus violat,

violat, quod posteriori conjunctioni accessit, sacramen-
tum, pro quo matrimonium a pontificis habetur; mul-
to minus stringit altera ratio, quod *Lex Imperii & Con-*
stit. Elect. Sax. 20. part. 4. in fin. de intercessione conju-
gis & remissione fileant, nam si lex intercessionem ejus-
que effectum non impedit, cur, quæso, citra legis præ-
scriptum illa remissio negatur? conf. WERNHER. l. c.
O quanta observantiarum barbaries! quippe quæ ho-
minibus etiam vitam adimit.

§. VII.

At inquis, sufficit usum forensem habere vim le-
gis tacite, tritumque illud potestatis legislatoriaæ sym-
bolum:

Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.
Sane hoc illud περὶ τοῦ εἰσιτοῦντος, quo vulgaris nuditur su-
perfistio. Verum si dicendum, quod res est, *observan-*
tia Collegiorum Juridicorum nullam habent juris auctoritatem. Ratio peremptoria est, quia ab Imperante saltem
interpretandi leges & applicandi potestas illis data est,
ut taceam gravissima, quæ ex illa hypothesi, quod
enunciata Collegiorum Juridicorum vim legis habe-
ant, in Rempublicam redundant, incommoda, contem-
ptus legum & incertitudo, protelatio litium aliaque, de
quibus late differit Dn. GRIBNER, in d. *Disserr. de Ob-*
servo. Neque urgeri poterit l. 35. D. de LL. Quæ longa
consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos ob-
servata, velut tacita civium conventio, non minus, quam
ea, quæ scripta sunt jura, servantur, aut l. 37. in f. Eod.
Optima est legum interpres consuetudo, & l. 38. Eod. Nam
Imperator noster Severus rescripsit, in ambiguitatibus,

qua

quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum
perpetuo similiter judicatarum auctoritatem, vim legis ob-
tinere debere. Nam 1.35. uti substrata materia & con-
textus, scil. tacita civium conventio, satis ostendit, non
loquitur de observantiis Collegiorum Juridicorum, sed
de illa consuetudine, quæ supposito statu reipublicæ
populari est lex tacita, ex actionibus populi, vel, si
etiam de Responsis ICtorum sermo sit, ex his tacito
populi consensu confirmatis orta. LL. 37. & 38. de le-
gum latarum interpretatione loquuntur, ubi auctoritas
Imperatoris vim legis quidem ei tribuit, sed verba legis
non captanda, ex veris principiis politicis potius ex-
plicanda h. e. de præsumptione veritatis & auctoritate ali-
qua, non tamen tali, cui nulla fortior veritas & æquitas
opponi possit, quæque, licet justiores causæ id suadeant,
tamen a ICtis non mutari nequeat aut non debeat, in-
telligenda sunt; imo si legis vim simpliciter iis imperti-
vit Severus, quod quidem verisimile non est, terminos
tamen habiles, nempe interpretationem aliquam perpe-
tuam sive constantem & sententiam ICtorum unani-
mē præsupponit; aut si hoc non est, sanctio specialis
est, quæ, cum potestas legislatoria privatis regulariter
concedi non soleat, ad nostros Imperantes applicari ne-
quit. Denique apud nos lex Saxonica Elec^t. ne fiant,
quæ legum auctoritatem sibi arrogent, observantia, di-
ferte caver. Hoc enim Resol. Grav. de Ann. 1661. §. 49.
satis exponit, quem integrum hic apponere licebit: So
ordnen und sezen wir hiermit, befahlende, daß kein
Collegium Juridicum Macht haben solle in den Punc-
ten, welche nicht mit deutlichen Worten in Constituicio-
nibus,

nibus, Landes - Gerichts - und Policey - Ordnungen exprimiret, sondern per consequentias und Folgereyen daraus gezogen werden wollen, vor sich ohn unser Vorwissen, wieder das andre Collegium ex interpretatione einige observanz (i. e. legem, cui inhærendum & a qua, licet aliud Collegium veriorem adstruat sententiam, non recedendum) zu machen, sondern es sollen uns dergleichen Casus dubii jedesmahl aus denen hinc inde angezogenen rationibus Juris eingesendet und mit Beziehung der getreuen Landschafft dieselben decidiert werden.

§. VIII.

De Summo Provocationum judicio ambigendum non videbatur, quin illius pronunciata vi legali gaudent; verum, utut summis tribunalibus major tribuenda sit autoritas, cum nomine Imperantis decident, adeo ut sententia Tribunalis censeatur sententia Principis, tamen & iis saltem facultas secundum jura constituta pronunciandi, non novum jus introducendi regulariter concessa est. STRYK. *Uf. Mod. ad Tit. de Confit. Princ.* §. 4. MEV. P. 1. *Decis. 250. n. 10.* BERGER. *in Disc. For. Suppl. ad Tit. 4. §. 22. X. pag. 1753. 1754.* Peculiare quidem videtur, quod Sereniss. Elekt. Saxonia Christianus II. glorioſiſſimæ memoriae circa sententias Supremi Appellationum Judicij quondam constituit, eam nimirum legis dubiæ interpretationem, quæ ſemel placuit, literis eſte consignandam & in futuris caſib⁹ obſervandam. v. Appellation-Ordnung sub rubr. von des Präſidenten oder Beyſitzers Amt verb: Dieweil aber ſonderlich nach Gelegenheit des Sächſiſchen Rechtens viel Thun in dem üblichen Gerichts - Brauch ſiehet, auch ſonſten die

die Fälle nach unterschiedlichen Umständen, so mit unterlaufen, sich öftermals verändern, so sollen unsere Präsidenten und Beysiker, wenn etwas zweifelhaftes vorfiele, es belange gleich den Proces oder die merita, dasselbe in gute Acht nehmen, und was man sich in solchen Fall verglichen, und worauf man erkannt, in ein sonderlich Buch mit Anziehung der Umstände fleißig zusammen verzeichnen, damit man in künftigen Fällen sich desto besser darnach zurückten habe und in Urtheilen Gleichheit halten möge. Verum his verbis summorum tribunalium decisionibus vis legalis non tribuitur, sed (1) inconstantia saltem & temeraria decisionum immutatio, non vero, si re probius examinata melior se offerat sententia, discessus ab ea prohibetur; hoc enim esset, æquitati & prudentiae vim facere. Præterea (2) inferioribus judiciis de rebus summorum Tribunalium judicatis non semper satis constat, ac denique (3) illustris Senatus ipso facto veritatem haec tenus dictorum comprobat, siquidem momentis denuo pensatis a priscis præjudiciis utique recedit. v. BERGER. in *Elect. Disceptat. Forens.* T. 35. Obs. 7. n. 2. p. 971. VVLTEJ. in *Consil. Marpurg.* Vol. 1. Cons. 34. n. 53.

§. IX.

Oscitania igitur & simplex persuasio est illorum Advocatorum, qui observantiae idolo territi rebus judicatis inherent, de ulteriori caussarum examine non cogitant, neque circumstantias & an concinnior dari queat decisione, inquirunt, aut, licet rationes non cerebrinas, sed bonas & solidas, ob quas verior justiorque forte sententia speranda sit, animadvertant, nihil tamen tentare au-

audent. Quoties enim factum non est, ut cordatores ICti in dicasteriis sententiam suam ferentes, solida postulantium discussione moti, inveteratam quoque opinionem mutarint, novaque ratione de jure responderint? conf. ZIGLERVS in *Introd. ad Prax. Forens. c. 5. §. 33.* BERGERVS in *Eleg. Disceptat. Forens. p. 253. & in Oecon. Jur. p. 709.*

§. X.

Cæterum licet juris auctoritatem Observantiae habens denegaverim, tamen auctoritatem omnem ei derogatam non velim, quod, ni fallor, Excell. AVTOR antea citat. in d. Differ. de Observ. facere videtur. Sententiam meam, salvo Ejus aliorumque rectius sententium judicio, breviter exponam. Observantia, si circa legis naturalis veritatem ac præcepta eruenda, positivæ interpretationem aut valorem, utriusque vero applicationem non rite versetur, sed juri aperte repugnet, tum a judiciis collegiisque juridicis merito abesse debet; si vero recte se habear, tum major quidem legis auctoritas non erit, quoniam secundum eam pronunciatum est, & ineptum fuerit, ubi lege habemus, observantiam querere, ac ubi de legum sensu & valore satis constat, de usu forensi despice: interim, cum rerum moralium veritas ac perspicuitas suos habeat gradus, non est, cur minimum vim illustrandi atque confirmandi rebus judicatis abjudicare, easque, tanquam veritatis per se radiantis effectus, adsperrnari velimus; denique si æquitatis & utilitatis argumenta in utramque partem disceptari queant, nec vitæ civilis conditio ferat, ut semper aut statim ad authenticam Imperantis decisio-

decisionem aut interpretationem quæstio controversa referri queat, & respondendum omnino sit, responsum vero in rationes imbecilliores inciderit: tum observantia infirmis rationibus stipatae iterum nulla debet esse vis aut efficacia, sed tum ipsi judicantes priscam corrigerent sententiam &, argumentis denuo examinatis, prout fides ac religio suggerit, æquorem ferre debent, cum alii modeste dissentire, &, quantum in iis est, expositis rationibus accuratori decisioni ansam præbere possunt. Quod si vero in casibus dubiis observantia ratione non contemnenda munita sit, vel argumenta in utramque partem æqualia existant, & in rebus ex plurimum judicio agendis plurima vota valeant: tum illi omnino aliqua auctoritas tribuenda est, auctoritas inquam, non quidem legalis, a qua ipsa collegia recedere nequeant, sed qua habet præsumptionem veritatis & justitiae, donec probetur contrarium, aut Princeps sua decisione rem expeditat. Ratio est, quia Collegium ab Imperante institutum, & oculi plus vident, quam oculus, quemadmodum etiam amica opinionum collatio, inter plures instituta, id efficere potest, ut vel unus ex pluribus eadem adjutus veriore sententiam inveniat, ceterosque, si viri cordati sint, in partes trahat, & sic ponderatis causæ momentis tandem majora vota concludant. L. 39. π. d. R. I. L. 17. §. 6. π. d. recept. qui arb. rec. L. 19. π. ad munic. fac. R. I. Trev. & Col. d. A. 1512. §. 7. c. 6. X. de Elect. j. Aur. B. c. 2. §. 6. & f.

§. XI.

At vero quid ICtorum tribuemus enunciatis, si diversa sint unius ejusdemque territorii collegia, quo

D

mur

rum observantiae nimium quantum s^epe dissident? Responderem: regula æquitatis, generatim hactenus circa collegia juridica eorumque observantias adstructa, obtinere debet, sive quodvis dicasterium in se ac seorsum spe^ctes, sive dicasteria inter se contendas. Cedat superstitio, quæ cervam putat esse Minervam, cedant, qui eam progenerant & fovent pravi affectus, cedat ambitio æquitati, contradicendi pruritus publicæ utilitati. Indicet collegium collegio dissensus rationes, ut recte monet GRIBNER. *d. Differ. §. fin.* Concedat dissensio amicæ opinionum collatarum conspirationi, ut observantia, ratione subnixa, in omnibus dicasteriis eadem sit, non diversa & incerta, civium rebus commoda, non molesta, utilis non damnoſa. Sic observantiae auctoritas nec nimia erit, nec nulla, sed quæ cum æquitate, imperio civili, civiumque utilitate consistere potest. Atque in hunc sensum dictum §. 49. *Resol. Grav.* explicari posse & debere, existimem. Cæterum ut apud nos observantiae collegiorum diversorum consonantes non plane defunt, atque exempli loco esse possunt necessitas clausula rati in mandatis, oblatio testamenti per procuratorem inutiliter facta, v. §. 3. h. mutatio testamenti nuncupativi, scripti & judicialis, verbis coram testibus declarata, CARPZ. p. 3. c. 3. d. 42. ceu, revocato coram Notario & 7. testibus, quorum ille desuper confecerat instrumentum, testamento pron. F. J. L. *Mens. Jan. 1714.* clausula codicillaris in testamento Parentum præsumta, CARPZ. Dec. 155. n. 9. 10. ibique præj. a. L. 38. ff. d. fidei comm. bær. L. f. C. fam. berc. Nov. 107. pr. juramenti relatio reservari solita in sententia, parte licet non petente,

ex

ex officio, CARPZ, in Proc. Jur. Tit. u. a. 4. n. 19. aliaque; uti etiam Imperans decisione sua observantias in ordinem redigere potest: ita nihilominus fatendum est, dicasteriorum dissensiones, observantias inde oriundas & superstitiones circa easdem versantes tum cessatas, cum cessaverit ad dissentendum proclivitas & homines veritatem magis, quam errores amare cœperint, ut adeo cum aliis hujus vitæ malis observantiae malum quoque patienter ferendum & cum aliis sectis supersticio juridica toleranda sit.

§. XII.

Pergimus ad alteram, quæ veritatem offendit, superstitionem v. §. 1. b. Ad consuetudinem illa pertinet: hanc enim ab observantia, juxta communem Dd. sententiam, separare licebit, quanquam alias utroque termino promiscue utamur. v. TREVTL. V.t. D.t. tb.g. lit.B. MEIER. C. A. tit. d. LL. tb. 44. Consuetudo in genero, & communi sensu, est frequens ejusdem generis actionum repetitio. Porro in jure nostro vario sensu illa accipitur, quas significaciones omnes hic evolvere instituti ratio non permittit, conf. TITII Jus privar. L. 1. c. 7. §. 2. seqq. Observantia, de qua antea diximus est species quedam consuetudinis, de qua infra videbimus. Differuntergo tanquam genus & species. Observantia est consuetudo, quæ indecidendis controversiis forensibus a Collegiis iuridicis servatur, colligenda ex rebus judicatis v. §. 2. h. sed ea consuetudo, quam simpliciter consuetudinis nomine designamus, non de sententiis Collegiorum iuridicorum vi legis tacitæ destitutis intelligitur, sed de

D 2

cœte.

cœteris hominum actibus in vita civili occurrentibus, sive a singulis, sive ab integris collegiis & universitatibus illi suscipiantur; estque iterum duplicitis generis, vel nuda sive exercitium actuum intentione & vi obligandis destitorum, vel legalis, sive lex tacita ex actibus subditorum confirmatis orta, aut si plenius eam definire velis, Decretum Imperantis, ex actibus subditorum confirmatis exortum ac in vicem normæ propositum. j. TITII Ius priv. d. l. §. 5. Consuetudinis nudæ exempla quotidie observantur. v. g. Donationes, quæ sunt in memoriam Nativitatis Christi, Pacta dotalia, ac in specie donatio propter nuptias, das Gegenvermächtniss, Amicorum conventus statis horis & diebus, Encoenia, societates sagittariorum, aliaque instituta innumera. Sed consuetudinum eminenter & pro lege tacita sumtarum exempla sunt rariora. Eo tamen pertinet. e. g. Tacita Locationis Conductionis renovatio in immobilibus, quæ Lipsiae fit, si contrahentes tempestive ei non renuncient, quia immobilium conductores omni tempore haberi non possunt. j. TITII Ius priv. L. 4. c. 6. §. 3. Recte etiam ad consuetudinem pro lege tacita sumtam refertur observantia Collegiorum juridicorum, si Principis confirmatio accesserit, nec diserte adjectum sit, quod illæ imposterum norma communis esse debeant.

§. XIII.

Nunc, ut ad superstitionem juridicam redeamus, hæc consuetudinem nudam cum ea, quæ lex tacita est, plerumque confundit, ac consuetudinem nudam non nudam

nudam sed obligantem seu legem tacitam esse censet & ostentat. Sic ad consuetudinem non veram sed apparentem pertinet *stilus fori & solennis formularum concipiendarum modus*, circa quem plerumque, ut TITIVS L. 1. c. 7. §. 3. loquitur, magna superstitione occurrit. Nam multi vel actuum quorundam solemnitatem, vel loquendi scribendique modum & connectendi rationem, ha-
stenus regulariter indifferentem, velut rem æterna lege positam urgent ac venerantur. Sæpe vero jus prohibendi, sæpe jus aliquid ab aliis postulandi vi consuetudinis prætenditur, cum tamen ejus tacite vel expresse ab Imperante confirmatae veritas probari nequeat. Quæ superstitionis titulo non incongrue notantur. Sic novimus collegiorum opificiorum consuetudinem, qua ad fornicationem referre, argue propterea ad repulsam dandam moveri solent, si quis ducat in uxorem, quam ante vel ipse vel alias imprægnavit. Sed absurdam esse illam, &, contractis nuptiis, maculam, quæ certo respectu subfuit, cessare, quotidie & recte a dicasteriis responderetur. v. GAIL. Lib. 2. Observ. 141. n. 2. CARPZ. p. 2. c. 6. d. 12. 13. 14. BERG. in Respons. p. 1. R. 137. 257.

§. XIV.

Cæterum facile est judicium de consuetudinibus, quarum vanitas manifesta, aut quibus vitium aliquod legibus naturalibus & utilitatib[us] publica contrarium est. Verum ubi actus subditorum liciti & utiles per longum tempus suscepti sunt, ac proinde jus & lex tacita exinde elicitor, tum, nisi conditio actuum a subditis suscepto-

D 3

rum,

rum, &c, an confirmatio Principis accelererit, probe examinetur, facile asseri potest, s^epe etiam solet lex quædam tacita, quæ tamen nunquam extitit. Sic v. g. si alicubi inter conjuges successio ab intestato cum defuncti cognatis ex æqua parte, aut etiam exclusis collateribus, ex asse, præter regulam communem, cestantibus partis & statutis, aliquoties exercita fuerit, neque vero confirmatio Imperantis tacita vel expressa accelererit: tum legem tacitam non statim adesse putem, ea enim est legis omnis, adeoque & tacita, indoles, ut ab imperio civili, non sola subditorum voluntate illa dependeat.

§. XV.

Causa erroneæ consuetudinis est, quod vulgaris supersticio eam non ex genuino fundamento, sed ex fragmentis Juris Romani rem inadæquate determinantis ac præterea statum reipublicæ popularem præsupponentis estimare velit. Hinc remedium erroris erit, consuetudinis pro lege tacita summa indolem ex generalibus de imperio & subjectione principiis repetere. Juxta hæc igitur consuetudo introducitur actibus subditorum, quibus ostendunt, quem in modum legem ferri velint & Imperantis confirmatione, qua deficiente deficit lex, quæ ratio certa & peremptoria est. Consuetudo igitur sive lex tacita nondum sunt actus subditorum, sed confirmatio superioris, seu decretum, quod in usum futurum ex consuetudine oritur atque colligitur, est lex tacita. Quo minus hæc vulgo recte docentur & quo solidior nobis esse videtur doctrina TITII, quam tradit in Iure priv. d. Cap. eo magis operæ pretium erit,

erit, vulgari superstitioni aliquid hic reponere & laudati
ICti vestigiis insistere.

§. XVI.

Scilicet ad actus subditorum generaliter requiritur,
ut tales sint, quibus Imperantis confirmatio accedere possit.
Ergo debent esse (α) rationabiles h. e. tales, quæ legibus
divinis naturalibus & positivis universalibus non regu-
gnant, C. f. X. d. *Consuet.* TIRAQVELL, de pœn. temper.
caus. 47. num. 15. GABRIEL. Lib. 7. concl. 8. num. 27. cum
contra has nihil constituere potest Imperans; (β) ali-
quories, minimum bis exerciti, v. GAHL. Lib. 1. Obs. 36.
n. 7. RICHTER. in Conf. p. 1. c. 55. n. 37. nam alias non
satis appetet, an subditi talem exoptent legem, & si v.g.
actus coram tribus testibus testamentum condendi, bis
in supremo judicio approbatus sit, quis exinde non colli-
geret normam in usum futurum esse præscriptam? (γ) uni-
formes, non difformes & dissimiles, l. 3. C. de ædif. priv. l. 39.
ff. de Legib. nam actus difformes & fluctuantes nulla se-
quitur confirmatio, vel saltem in illa actuum difformi-
tate vix de approbatione constare poterit, imprimis (δ)
actus debent esse consuetudinis introductivi. i. e. ea inten-
tione a subditis suscepiti, ut norma communis adsit:
alias enim actus ex mera libertate vel animo saltem pa-
ciscendi exerciti censentur; cessante vero affectu subdi-
torum votoque habendi legem, cessat quoque occasio
dandi legem, ac insimul Imperantis legem ferendi vo-
luntas. Cæterum, quæ vulgo in SYSTEMATIBVS
de temporis lapsu & quod ejus determinatio tam Jure,
Civili quam Jure Canonico arbitrio judicis relinquenda
sit, arg. L. 1. §. f. D. d. jur. del. c. 1. X. de nov. oper. nunt.

LAV.

LAVTERBACH. *Concl. Forens. Exerc. 2. tb. 12.* traduntur, plane otiosa sunt & inania: nam quid hoc ad judicem? cum hic de nova lege ferenda quæstio, judex autem legislator non sit: Imperans vero si actus subditorum confirmare velit, quis potestate Ejus ac voluntatem certo temporis decursu definientam aut circumscribendam dixerit? v. SLÜTER, *in libell. germ. de Consuetud. Hamb. 1694. edito tit. 8.*

§. XVII.

Fateor aliud dicendum esse, si Imperans ante consuetudines introductas tempus definiat, intra quod ratæ ac perfectæ illæ censeri debeant, tum enim ista definitio in subsidium facta, & lapsus temporis illa determinatione expressus loco confirmationis est, adeo, ut, si antea de confirmatione superioris non constet, post tempus illud elapsum, hæc præsumenda sit. At autem in aliqua Republica hoc factum sit, ab affirmante probandum est. In Saxonia intra 30. annos annum & diem consuetudinem introduci testantur CARPZ. p. 2. c. 3. d. 21. FACHS. 1. differ. 12. COLER. *in process. execut. part. 1. cap. 3. n. 29.* & decis. 21. num. 5. SCHNEIDEW. in §. sine scripto 9. num. 5. *Instit. de jur. nat. gent. & Civil.* Et in hanc sententiam Ordo Vitembergensis etiam Mens. Nov. 1708. ad requisitionem D. G. L. M. als Gerichts-Halters zu Golis respondit: Würde Dorothea Scherlein, daß sie glaube und davor halte, daß bereits vor 31. Jahren 6. Wochen und 3. Tagen, von Zeit der erhobenen Klage, ein oder mehr actus, der an gezogenen Dorff-Gewohnheit, die Succession der Eheleute betreffend, gemäß, zu Golis vorgegangen, ver-

vermittelst Eides erhalten, also in Supplementum schweren: so ist derselben die Helfste ihres verstorbenen Chemanns Verlassenschaft billig abzufolgen ic.

§. XVIII.

Cæterum cum TITIO l. c. §. 13. forassis non! im-
merito dubitamus, an talis lex in Saxonia existat. Nam
quæ Doctores in præcedente paragrapho allegati tradunt,
ad præscriptionem, non consuetudinem spectant, &
tempus illi præstitutum citra rationem ad hanc vulgo
trahitur. Certe per centum aut plures forte annos in
Saxonia usitatum fuit, contrahi pacta nuptialia & a
sponso sponsæ constitui donationem propter nuptias,
sed quis crediderit, consuetudinem obligantem eo ipso
introductione esse. j. STRUV. S. I. C. Exerc. 30. §. 35. TITIVS
Jur. priv. L. 2. c. 4. §. 18. BARTH. Hodeg. Forens. pag. 196.
597. Sic memini in Academia satis celebri Facultatem
Juridicam prohibuisse Doctoribus, quos vocant, ex-
traneis, ne in loco publico assigerent schedulam, qua
lectiones suas legum cultoribus significant, exerci-
tam quoque istam consuetudinem per quinquaginta
& plures annos, hoc tamen non obstante a Supremo
Senatu Ecclesiastico in causa D. A. F. M. Mens. Aug. 1745.
& in causa L. C. S. Mens. Octobr. 1746. ad laudatum Fa-
culty, ne illos amplius impeditrent, rescriptum esse.
Illud concesserim, post longum temporis lapsum ab
Imperante intentionem agentium, si justam gravem-
que causam subesse deprehendat, non facile subversum
iri: ast ita fallacia causæ ab interpretibus committitur,
dum causæ occasionali aut impellenti, scilicet lapsi
temporis, legis tacitæ inductionem tribuunt, cum haec.

E

tribu-

tribuenda erat sententiæ postea secutæ, tanquam causæ proximæ ac principali. Nimirum sententia in tali casu lata non declaravit, ob lapsum temporis jam adesse consuetudinem obligantem, sed lapsus temporis est causa quæ actus confirmationem suadet, & legislatorem movit & impulit, ut alteri agentium parti assentiretur. Igitur ante sententiam lex tacita, ex temporis lapsu oriunda, nondum adfuit, uti vulgo creditur, sed post sententiam latam demum lex tacita existit, aut etiam expressa, si diserte additum fuerit, velle Imperantem, ut idem in casibus imposterum obventuris observetur.

§ XIX.

Quod ad confirmationem Imperantis attinet, hæc, si consuetudo sit tantum *privativa*, ex sola ejus *scientia* colligi poterit, si vero dispositiva aut correctiva, tum sola scientia non sufficiet, sed actu positivo, quo Imperans alteri contradicentium parti assentitur, opus erit. Ratio disparitatis est, quoniam in consuetudine privativa res inter imperantem saltem & subditos agitur. Neglectum ergo legis si ille impune permittit, eo ipso legi valorem ademisse censendum est: at vero in consuetudine dispositiva & correctiva duæ subditorum partes adsunt, quarum altera actum in vim normæ communis evalescere vult, altera renititur: tum si de Imperantis confirmatione constare debeat, sola ejus scientia non sufficit, sed, præter illam, actus aliquis positivus, ex quo confirmatio eliciatur, seu ex quo apparet, cui contradicentium parti Imperans accedat, necessarius est. Plerumque confirmatio illa erit actus

ex-

expressus v. g. si testamentum coram duobus testibus conditum, aut successio vidui, exclusis uxoris defunctæ fratribus, cæterisque in linea collateralí consanguineis, confirmetur: nec est, quod objicias, ita non affore legem tacitam, sed expressam; licet enim confirmatio sit actus expressus, ideo tamen consuetudo lex tacita esse non desinit. Nam aliud est: actum aliquem diserte confirmare, aliud: normam ira agendi imposterum observandam præscribere. Illud fit expresse, hoc tacite. Scilicet, ex diserta unius alteriusve actus confirmatione, ob generalitatem, quæ subest, & paritatem rationis, elicetur norma communis, seu hæc propositio: *Volo ut imposterum hic testandi, hic succedendi modus observetur.* Secus eam ob causam est, si Imperans sententia suæ diserte adjiciat, quod præsens confirmatio imposterum velut norma communis observari debeat, tum enim non consuetudo, sed lex expressa hac occasione exoritur.

§. XX.

Non abs re erit, sententiam nostram exemplo forte non incongruo illustrare. Procuratoris negligencia v. g. quando fatalia non observat, aut litem non rite contestatur, principali sive mandanti nocet, *l. Si procurator 10. C. de Procur.* nec ille regulariter restituitur. *l. 13. f. 11. C. de judic.* Videtur enim dominus intuitu adversarii sui, dum homini negligentie negotia commisit, in negligentiam ejus consensisse. Verum sic consensus non usque adeo liquidus est, æquitati enim magis conveniens, soli procuratori negligentiam imputare, eum arbitrarie punire ac processus restitutionem domino concedere. *j. TITII Obs. Lauterb. 91.* Sane in tribunali

E 2

Wisma-

Wismariensi hoc fieri consuevit testante MEVIO P. s.
Dec. 207. atque ut talis lex in Saxonia quoque feratur,
ex parte Ordinum Provincialium anno 1699. & 1697. &
summo provocationum senatu suasum, referente BERG.
Disc. For. t. 7. p. 279. In eo omnes fere Dd. consentiunt,
quod principali sive mandanti detur regressus adversus
procuratorem, &c., si solvendo non sit, subveniantur per
beneficium restitutionis in integrum, ne adversarius
ex alieno dolo vel culpa locupletior, dominus vero
pauperior reddatur. SWEND. *ad Eck. Tit. de Procur.*
§. 12. GAIL. Lib. 1. Obs. 45. num. 6. CARPZ. p. 1. C. 1. d. 23.
& L. 3. Resp. 4. BRVNN. *ad l. 10. C. de procur. n. ult.* BERG.
ad Lauterb. p. 97. HARTMANN. PIST. part. 1. quæst. 36.
Hinc, si quis restitutionem petierit, eamque conse-
cetus sit, an exinde in futuris ejusmodi casibus ob-
paritatem rationis lex tacita asseri queat, quæri-
tur. Ego id affirmarem, ex fundamento antea suppo-
sito. Non multis abhinc annis contigit ejusdem ge-
neris casus in Judicio Mercatorio Lipsiensi, ubi reus
mercator, culpa Advocati, non clare & perspicue, sed
confuse ad unum aliquem libelli articulum responden-
tis, pro confessio & convictio declaratus erat, postea
vero, a Potentissimo Rege & Electore nostro sub dato
Dresden den 21. Jul. 1711. ad Serenissimum Gubernato-
rem & Consiliarios intimos, ita rescriptum: Uns hat
der Kauffmann von Leipzig Gerhard Berthold gezie-
mend vorgestellet, welcher massen er in seinem wider
den Kauffmann Kampffen geführten Proces blosz aus
Versehen des Advocati, welcher sich nicht deutlich gnug
eingelassen, und also in einer blossen und schlechten
forma-

formalität pecciret, aus dem Schöppenstuhle daselbst eine wiedrige und ihme sehr præjudicirliche sentenz erhalten habe, mit angehengter unterthänigster Bitte, ihn, da er keine die Haupt-Sache und merita causæ betreffende correction verlange, sondern sich darinnen ganz willig denen rechtlichen Aussprüchen unterwerfe, nur in demjenigen, was sein Advocatus versehen und verderbet, in integrum zu restituiren. Nun sind wir zwar wohl erinnert, was bey dergleichen Fällen die in unsern Landen eingeführte Proces-Ordnung und die Observanz vermögen; wir finden aber auch zugleich, daß es eine sehr harte und betrübliche, vornehmlich aber der Kaufmannschaft höchst præjudicirliche Sache sei, wenn ein in Rechten nicht erfahrner Mann sein ganzes Haab und Guth in währendem Processe der Discretion eines Advocatens dergestalt übergeben soll, daß er, woferne dieser aus Bosheit oder Versehen den gehörigen Fleiß in Beobachtung dergleichen formalien oder fatalien nicht angewendet, dasselbe ohne sein Verschulden mit dem Rücken anzusehen kan gendigt werden: Immaßen Ew. Lbden und Euch nicht unbekannt ist, was bey uns eine gerreue Landschaft dieserwegen zu mehrern mahlen vor Vorstellungen gethan, und, daß diese allzu harte Verordnung und Observanz möge geändert werden, unterthänigst gehethen, nicht weniger supplicante unterschiedene Exempel angeführt hat, bey welchen in dergleichen Fällen auf die restitutionem in integrum ohne Bedenken erkannt worden ist, wir begehrn dannenhero gnädigst Ew. Lbden und Ihr wollen nicht allein gedachten Ber-
E 3 tholden

tholden contra Kampfen, was das Versehen seines Advocati anbelanget, in intrgrum restituiren, und hierauf gleich, als ob von dem Advocato niemahls etwas versehen worden, in der Sache ferner verfahren und, was Rechtens ist, ergehen lassen, sondern auch verfügen, daß unsere Proces-Ordnung in diesem Punct, so viel möglich, nach der natürlichen Billigkeit erläutert, mithin ein unschuldiger Principal, bloß aus Versehen seines Advocari, die sonst gerechte Sache zu verlieren nicht gemüthiget, auch der Advocate, welcher in Bertholds Sache nicht gehörigen Fleiß angewendet, gebührend bestraft werde. Certe, si Imperans illam sententiam contraria ex post facto voluntate non revocavit, putem, adesse legem expressam, ob, additam clausulam: sondern auch verfügen ic. Quod si vero dicta jam verba non essent adjecta, existimare adesse veram consuetudinem & normam communem imposterum observandam, verbis: gedachten Berthold ic. tacite præscriptum.

§. XXI.

Cæterum id quoque ex haec tenus dictis facile intellegitur, sententiis & rebus judicatis inferiorum judiciorum, aut etiam Collegiorum juridicorum pronunciatis, illam vim non inesse, ut consuetudinem obligantem contineant, nam laudata judicia & collegia interpretandi quidem & applicandi, non legem ferendi aut abrogandi potestatem habent: hinc ad confirmandas, ut exinde lex tacita oriatur, consuetudines sola sanctioris senatus, aut etiam Regiminis Provincialis der Landes-Regierung (si modo eidem haec data est potestas) sententiae

tentiæ sunt idoneæ. Evidem varia hinc & inde exempla traduntur, ex quibus constare videtur, in Saxonia res judicatas inferiorum judiciorum confirmandis, ad effectum legalem, consuetudinibus sufficiisse: sed ista me non movent, nam laudatae sententiæ, non operantur consuetudinem obligantem sive legem tacitam ferunt, sed consuetudinem sive legem tacitam jam perfectam esse declarant, ex hypothesi, quod 30. annorum, anni & diei ex novissimo actu numeratorum lapsus, confirmationem Imperantis, si haec nondum accessit, suppletat aut presumere jubeat: nec aliter se habet exemplum. §. 17. adductum.

§. XXII.

Quæ haclenius de superstitione circa observantias & consuetudines diximus, ad *Jus Privatum* pertinent, at neque *Jus Publicum* ab illa vacat. Sicuti enim leges Imperii fundamentales non leges proprie dictæ, CONRING. ad Lampad. 3. 2. 12. STRACH. *Diss. Exot. Jur. Publ.* 4. tb. 27. sed conventiones sunt, inter Imperatorem & Status Imperii initæ, quibus præsens imperii status formatur, illæ etiam in expressas distinguuntur, quæ consensu verbis declarato & tacitas, quæ tacito ex factis colligendo constitutæ Observantia seu Consuetudo Imperialis des Reichs Herkommen appellantur: ita ab iis, quibus leges publicæ leges proprie dictæ, & status imperii veri sunt subditæ, conf. VITRIAR. J. J. P. L. q. tit. 4. §. 103. & VINDIC. CASTIG. §. 81. 82. celebratissimam haec observantia non potest non pro vera lege haberri, cum tamen ex conditione leges illas constituentium, nempe Procerum coimperan-

perantium, satis liqueat, *Observantiam Imperialem esse raciram conventionem ab Imperatore & Statibus diuturno usu initam, qua varia ad statum publicum pertinentia determinantur, quam definitionem latius persequitur TITIVS in Spec. Jur. Publ. Lib. 2. c. 8. §. 2.* Add. CARPZ. de Leg. Reg. German. cap. 3. Sect. 1. LIMN. ad Capitular. Ferd. IV. Artic. 7. num. 8. Deinde laudata observantia pro tacita conventione habeatur: nimis tamen a Scriptoribus Juris Publici eadem extollitur & adoratur, cum non dixerim semper, saepiuscule tamen inane nomen sit, & exempla, quæ circumferri solent, vel dubia sint, vel expressa constitutione deinceps secura, aut aliqua ratione status, adeoque meta libertate Statuum fulciantur. Sic requisitum in Imperatore eligendo, ut sit natione Germanus, rectissime ex observantia deducunt KVLPIS in dissert. d. Observ. Imper. §. 17. HERM. HERMES. c. 8. qu. 10. ac ejus veritatem ex affectu Germanorum aliorumque gentium TITIVS repetit & probat in Spec. Jur. Publ. L. 5. c. 1. §. 41. Sed dubia est observantia, quæ ab Electoribus in controversia circa potestatem concipiendi capitulationes allegatur. conf. RACHEL. Diff. de Capitul. c. 3. §. 23. AVTHOR der Grundfeste p. 3. c. 3. CONRING. Diff. de Capitul. tb. 25. seqq. TITII Spec. Jur. Publ. d. I. §. 8. 9. 10. Ius autem eligendi Imperatorem Electoribus olim vi observantiae competens post expressam CAROLI IV. sanctionem in A.B. c. 1. & seqq. c. 2. non amplius ex consuetudine & observantia, sed ex lege expressa, scil. A.B. derivandum est. Quando vero requiritur, ut Imperator eligendus sit persona illustris, hoc nec lege expressa nec observantia nititur, neutrum

neutrum enim probari potest, potius ab utilitatis respectu seu ratione status dependet, quæ apud incautos & supersticiosos legem mentitur, ut amplius hoc ostendit TITIVS. in VINDIC. VITRIAR. CAST. §. 238. KVLPIS de Observ. Imp. §. 22.

§. XXIII.

Restat, ut videamus, quomodo veris etiam legibus vel plus justo, vel aliud, quod iis haud convenit, tribuat Supersticio v. §. 1. Maxime hoc conspicitur in aestimatione legum extranearum. Et multa quidem hic moneri possent, paucis vero rem expedire oportebit, ne præsens disputatio in pleniorum tractatum excrescat. Supersticio juridica (1) in Jurisprudentia docenda discendaque Ius Romanum tanquam Ius aliquod universale fundamenti loco supponit, atque juri extraneo & subsidiario primas defert, jura principalia vero per saturam addit, aliena, obsoleta & inutilia anxie tractat, domestica & magis necessaria plerumque negligit, in specie res naturali ordine non exhibet, sed confusum chaos objicit, (2) naturalia & positiva non discernit, sed illa Romanis in acceptum refert, Romana cum divinis confundit, aut ea, quæ alias omnibus gentibus communia sunt, Romanis tribuit & vice versa Romana gentibus obrudit. Sic remedium ex lege diffamari s. C. de Ingen. manumiss. inventum Juris Römani esse creditur, variaque circa illud suaviter disputantur, cum tamen generali æquitatis principio, quo in alterius præjudicium sine causa nihil faciendum est, nitatur. Dogma de Tutelis, Emptione Venditione, Locatione Conductione aliaque maximam partem sunt juris naturalis,

F

aut

aut alias principia omnibus gentibus communia, ex parte saltem a Jure Romano amplius determinata, sed pauci hæc distinguunt. Hinc saepe etiam de Legum Romanarum decisionibus, ex jure naturæ generali utilitatis principio deductis, dicitur quod illæ adhuc hodie suum habeant usum atque ita pronunciaverit *Facultas Juridica*, *Scabinatus*, *Summus Provocationum Senatus*, quasi vero hoc esset praxis Legum Romanarum, quod est praxis Juris naturalis, cuius præcepta & immutabilia sunt, & omnes gentes obstringunt. E contrario sanctiones Romanae seu positivæ v. g. *I. 16. §. 2. D. quod met. caus. I. 23. f. 8. ff. ad L. Aquilam. I. 21. §. 5. π. rerum amot.* quibus obligationes ex delicto venientes, quantum damni restitutionem exigunt, in heredes non transeunt; nisi sub variis limitationibus j. *LAVTERB. C. f. de O. & A. juris naturalis esse creduntur*, cum tamen huic sint contrariae. v. *TITHI Jus privat. L. 1. c. ii. §. 31. 32. 33.*

§. XXIV.

Porro supersticio illa (4) ipsum *Jus Naturale infestat*, ac infelicem non solum existimat præsentem Juris prudentiae periodum, ubi plus operæ quam olim Juri Naturæ impenditur, sed etiam in scenam producit infelicem Thuanum juniores, qui exemplo suo, apud *SIRIVM Histor. Ital. p. 194.* docuit, wie schädlich es auch einem Staatsmann sey, sich dessen zu rühmen, daß er kein Jurist sey, und sich nur auf das *JUS NATURÆ, GENTIVM* und gesunde Vernunft zu verlassen, ut ait *TABOR. de Confrontat. Disp. 3. lib. 19.* Nec audiendi sunt superstitiosi homines, qui isthac hypo-

hypothesi Jurisprudentiam incertam fieri crepant aut æquitatem cerebrinam oggannunt; tantum enim abs est, ut illi, qui Jus Naturæ commendant, leges positivas eliminatas velint, ut potius laudati studii abusum improbent, si quis nempe in generalibus illis semper subsistere, nec ad specialia legum humanarum decreta quoque descendere velit, aut in explicatione thematum Jurisprudentiæ particulariæ specialium ad ultima æquitatis fundamenta (quæ præsupponenda erant) recurrat, eademque prolixe recenseat. v. TITII Prolegom. ad Observ. Pufend. s. 42. Quod vero objectionem de æquitate cerebrina attinet, hæc ad genuina Juris naturalis dogmata non spectat, ubi non abstrusæ subtilitates sed indubia æquitatis principia supponuntur. (5) Ad hæc Jus Romanum in subsidium esse receptum, dicit quidem Supersticio, revera autem pro universaliter & fundamentaliter jure illud habet, adeo ut ex eo alia jura explicanda & restringenda esse sibi persuadeat, CARPZ. l. 6. Resp. 49. n. 19. & p. 1. Decis. 63. n. 16. Exempl. vid. apud ZAS. in L. properand. vers. sive autem alterutra C. d. Jud. n. 20. qua de re Cap. sequ. pluribus videbimus. Sed falsam esse hanc persuasionem, ex historia receptionis, natura rei & genio liberarum gentium patet, ac recte jam a SINCERO in Dissert. Epistol. de Uso Leg. Germ. p. 34. 62. THOMASIO, TITIO, BEYERO aliisque admonitum est. (6) Denique quasvis veritates v. g. logicas, physicas aliasque propriis jamjam principiis suffulcas, ex Legibus Romanis repetit. Quod errore veritas non amittatur, vel probari vel egregie illustrari solet ex l. 6. D. ad municip. Quod is, qui vult finem, velit etiam media,

media, arg. l. 2. D. de *Jurisdict.* ostenditur. Quod impossibilium nullasit obligatio, nesciremus, nisi hoc nos docuisset l. 185. D. de R. J. Quod Reipublicæ intersit, ne quis re sua male utatur, est principium politicum, sed tum demum de veritate ejus constat, quando allegatur §. 2. J. de *His qui sui vel al. jur.* Quod virgo, quæ menstruum non patitur, non sit sana, puellæ & Medici nostri didicerunt ex l. 15. n. d. Ædil. Edict. Quod ætas centum annorum finis sit longævi hominis, ex l. 156. ff. de *Usufr. illustratur*, imo forte probatur. Quod in toto & pars contineatur, credendum non est, nisi allegetur l. 113. D. de R. J. & id genus alia. Inde fieri non potest, quin (7) otiosa legum allegatio ubique fere occurrat. Verum plura sunt hujus superstitionis effectus & specimina, quæ brevi recensu hic expedire vix licet. Quod autem illa omnia tum solidiorem cognitionem impedian, tum vitæ practicæ, si non semper directe, per indirectum tamen vel damnosa vel saltem molesta sint, prolixa probatione forte non indiger.

CAPVT III. DE SUPERSTITIONE JURIDI- CA CIRCA INTERPRETATIONEM ET APPLICATIONEM LEGVM.

§. I.

Altera superstitionis proprie dictæ summa species, atque alias *Supersticio*, sine addito, dicitur, quæ in modo Numen colendi vel maxime sese exerit, dum vel

vel ipsum Numinis mandatum in ejus cultu se sequi homines existimant, per errorem tamen falsamque imaginationem non recte illud intelligunt, aut ultra, quam par erat, extendunt; vel in solo cultu externo ac religione superficiaria acquiescent, vel cultum quendam externum sibi fingunt, qui nec mandato divino speciali nittitur, nec generali, adeoque ἡθελοθησατια audit. Forte non incongrue cum illa comparabis Superstitionem Juridicam, quæ circa legum Interpretationem & Applicationem versatur, si quidem Interpretatio & Applicatio superstitionis perversum quoque objectum suum colendi modum prodit. Nam per falsam imaginacionem & coecam legum venerationem male interpretatur illas, maieque applicat, & licet, quod ad omnia momenta signatim spectata, cum superstitione proprie dicta non conveniat, in genere tamen certum est, quod ob perversam seu nimiam erga leges reverentiam hasce vel non recte intelligat, aut nimis extendat, vel saltem externis verborum schematibus inhærens circumstantias & rationes legum rerumque connexarum insuper habeat, vel ubi legis obligatio deficit, tamen obligacionem sibi fingat & moralitatem aliquam interpretando applicandove molitur, id quod certo modo cum ἡθελοθησατια seu cultu sponte effecto comparare poteris. Ceterum interpretatio superstitionis & applicatio plerumque sunt conjunctæ, hæcque ex illa fluit, hinc uno capite absolvamus.

§. II.

Interpretatio Juridica est voluntatis juridica (h. e. legum actuumque humanorum) factis vel verbis declarata

F 3

ratia

ratæ expositio. Distinguitur in authenticam, quam facit Imperans l. i. & ult. C. de LL. & hæc toties adhibenda, quoties de mente Legislatoris non appareat ECKOLD. ad n. 1. de O. f. 7. usualem, quæ ab usu forensi dependet v. l. 37. 38. D. de Leg. & doctrinalem, quam facit homo privatus. Illa & ista certis regulis non adstringuntur, doctrinalis vero, quæ est voluntatis juridicæ factis vel verbis declaratae per probabiles plerumque, aliquando etiam certas, conjecturas seu ratiocinationes facta expositione. Authenticam & Usualem nonnulli haud agnoscunt pro vera Interpretatione, quod vel regulis interpretationis doctrinalis nitatur, & tum sit ipsa interpretatio, sed si Imperans ita interpretur, ea sit nova potius voluntas, si ususforensis, aut mutatio legis, aut consuetudo. j. BEYER. in Post. ad Inst. Tit. de Jurisprud. & Fur. pos. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Putem tamen sustinere se posse vulgarem divisionem, quippe spectandum non est, an regulis interpretationis utatur Imperans aut usus, sed an velit interpretari. Quod si igitur cum regulis interpretandi sensus explicatio conveniat, tum doctrinalis ea quidem est, intuitu medii & fundamenti interpretandi, sed non intuitu subjecti sive personæ, quæ facit interpretationem, atque hoc respectu potius est authentica, aut usualis, quia vel ipse Auctor legis vel usus forensis interpretatus est; si vero genuinis interpretandi fundamentis illa repugnet, tum ideo non statim est nova lex aut mutatio legis, sed itidem interpretatio, quoniam hæc neque Auctoris neque consuetudinis interpretativa fuit intentio, ut nova ferretur lex, aut lex lata mutaretur, sed ut lex seu voluntas antea obscu-

obscurior proposita fiat clarior & subditis magis innovescat, quamquam in effectu & ex accidenti ita fieri queat & soleat, ut nova lex hac occasione eveniat.

§. III.

Sed redeundum est in viam. Quid sit interpretatio juridica superstitionis, nunc quæritur. Respondeo: quæ ob coecam & ultra rectam rationem procurrentem legum venerationem genuinas interpretandi regulas negligit. Quæ vero sint illæ regulæ, hic præsupponitur, interim vid. THOMAS. in der Vernunft-Lehre, EJVSD. Inst. Jurisp. div. Cap. de Interpret. TITIVM in Jur. privat. L. i. c. 17. Nec hactenus refert doctrinalis sit interpretatio an usualis, nam utraque a Superstitione sibi cavere debet. Et licet cap. præc. jamjam interpretationis facta sit mentio, ibi tamen superstitionem consideravimus, non quatenus ipsa male interpretatur, sed quatenus observantiam male interpretantem cœco impetu colit, ac eam pro lege aut ejus interpretationem pro infallibili statim habet; at hic de interpretatione loquimur, quæ ab ipsa Superstitione proficiscitur. Interpretatio igitur, quæ ex Superstitione juridica oritur, non una ratione perversa est. (α) *Vitia legum non obseruat* (β) *nullas antinomias statuit* (γ) *leges domesticas ex legibus extraneis, ac speciatim Romanis, explicat atque restringit* (δ) *verba legum tam domesticarum quam extranearum nimis captat, circumstantias & rationem legis non attendit.*

§. IV.

§. IV.

Supersticio, dum interpretatur, *vitia legum non agnoscit*, sed corrupta quæque in censum legum utilium refert. Sic Ius Romanum decisiones egregias in æquitate naturali & regulis prudentiæ fundatas contine, certum est, at non minus certum ac notum est, quod passim quoque habeat sanctiones iniquas, v. g. l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj. qua innocentes perduellum filii infames ac omnium successionum incapaces fiunt, innumeris autem subtilitatibus, otiosis restrictionibus, molestis ambagibus, variis ambiguitatibus, multisque erroribus abundet. v. CVRT. l. 8. c. 6. n. 28. c. 8. n. 18. Neque vitiis carent jura domestica. Sic cum æquitate non satis convenit art. 29. 37. Land R. lib. 2. in verb. fommt aber ic. ubi res inventa, si spatio 6. hebdomadum non repetatur, tertiam partem inventorii, reliquas duas magistratui cedit. COLER. ad cap. de quarta q. numer. 83. in fin. X. de prescript. Juxta Ordin. process. judic. Sax. cit. 18. §. Ferner die relation belangende in fin. is, cui relatum est jusjurandum, & jusjurandum calumniæ & relatum simul præstare debet; ZÖBEL. p. 1. differ. 24. n. 2. SCHNEIDEWIN. ad §. item si quis postulante. ii. n. 94. Inst. de Action. quæ quidem sanctio rationem non habet, nam juramentum calumniæ in relato seu principali continetur, qui enim jurare potest, adversarium sibi aliquid debere, is eo ipso utique satis ostendit, quod non malitiose ab eo exegerit juramentum, quod nihil debeat; frustraneum est jurare de calumniæ, si jurare potes de causa principali. Merito igitur, inquit TITIVS in Observ. Lauterb. 334. iste juramentorum

zorum abusus tollendus esset, & BERGER. qui idem
Observavit in Oecon. Jur. L. 4. t. 25. §. 8. nos. 2. p. 1112. in fin.
addit: quod velim diligentius aliquando attendant judices,
ut inane jusjurandum evitetur. Otiosa quoque est
constitutio in O. P. S. Tit. 51. §. 13. 14. cur enim arre-
stum impetratum bis de una quaterdene in aliam re-
novandum, & cur anticipatio, ut anticipans ordinem
præscriptum mutare queat, non permitta, imo si id,
quod præsinito temporis puncto agendum erat, citius
agatur, nec statu tempore deinceps repetatur, noxia
est? add. RIVIN. ad d. Tit. Enunc. 26. nemo sane vel
micam necessariae rationis afferre poterit. conf. BERG.
Part. 2. Suppl. Tit. 51. pag. 1003. BARTH. Hodeg. Forens.
cap. 3. pag. 569. lit. b. BERLICH. part. 1. conclus. 74. n. 132.
Hinc subsistere omnino arrestum, licet prima statim
vice arrestum renovans exhibeat libellum, rectius arbit-
rantur MOLLER. Lib. 2. semestr. n. n. 3. ZANGER. de-
except. part. 3. cap. 1. n. 268. RAVCHBAR. p. 1. quæst. 3. n. 27.

§. V.

Deinde quoties in Jure Romano legum pugnantia
occurrit, superstitio nullas antinomias statuit, ac Cor-
pori Juris eadem absurditate, qua Pontificis Papæ, in-
fallibilitatem tribuit. Fatemur, contradictiones non
esse temere afferendas, nam textibus probe examinatis
plerumque saltem contradictiones apparentes deprehen-
duntur i. e. propositiones sunt particulares, aut de diver-
sis plane loquuntur casibus, interdum etiam altera, quæ
videtur esse universalis, non est nisi indefinita, cui
altera, quæ particularis est, opponi non debet, cum non
aliud sit quam exceptio a regula, & sic specialia gene-
ralibus regulariter debent anteponi v. l. 80. ff. de R. I.

G

Aliquan-

Aliquando vera quidem subest contrarietas, sed propositiones tempore sunt inaequales, atque tum voluntas posterior est preferenda priori. *j. l. 4. n. de Constat. Princ.* Interim tamen non est, quod cum STRAVCHIO putemus, praestare quidlibet causari, quam aliquam antinomiam statuere. Dantur antinomiae nec multæ, nec nullæ. Nam si propositiones contrariae, quæ eundem habent casum, contrariam tamen decisionem, tempore sunt æquales, tum placulum non est, statuere antinomiam, ac alteram propositionem, quæ veritati est magis consentanea, preferre, alteram repudiare: nam sententias revera sibi contradictentes, quæstis variis coloribus & vanis distinguiuntur, velle conciliare, inanis labor est. Ne autem arrivitas hic discedam, unicum sufficiet exemplum. Pignus a non-domino constitutum non valet *l. 5. 6. C.* Si alien. res pign. dat, convalescit tamen si non-domino constituenti succedat verus dominus. *l. 22. ff. d. Pign.* Obstat *l. 41. n. de pignorat. action.* & veram adesse antinomiam ostendit TITIVS in *Observ. Lauterb. 655.* Reete, inquiens, pronunciauit MODESTINVS in *l. 22. n. de Pignor.* nam adest dominium & domini consensus ex hereditatis aditione colligendus --- binc ab hoc tempore pignoris validitas merito asseritur: quod attinet obstantem legem *q. de pignor. act.* veram hic esse contradictionem exinde liquet, quod iisdem fere verbis idem casus proponatur, & tamen contraria decisio detur, accedit quod vulgares conciliandi modi *V. ZOES. ad n. que res pignor. dar. poss. examen rigidum non sustineant, nec tam textus explicent, quam torqueant, quicquid etiam differiat STRAUCH. Exerc. 13. §. 22.* Interim

Interim dissentientis PAULI nulla erit babenda ratio, quia in applicatione principiorum generaliorum, jure quoque Romano probatorum, lapsus est. — Nimirum, generale principium est: Quoties Dominus habilis in oppignorationem consentit, toties pignus valet. Nam subsumere licebit: in casu, ubi non Domino oppignoranti verus Dominus succedit, talis consensus adest, qui nempe ex aditione colligitur, ergo quoque pignus valebit. Sed Paulus principium illud ad casum praesentem quadrare, seu consensum domini in pignus subesse, negat, verum non probat &c. Ulteriorem sententiae probationem & ad objectiones responcionem vid. apud EVND. d. Observ.

§. VI.

In specie tum se exerit superstitiosa Interpretatio & Applicatio, quando iura iisque innixa instituta Germanica ex Jure Romano, alioque extraneo explicantur & restringuntur, cum tamen ex rationibus domesticis h. e. statu reip. genio populi, institutis, moribusque domesticis explicatio petenda sit. Sic utrum Domino homines proprios occidere & servos mercenarios verberare liceat, aut Domina famulam honeste viventem appellans metrericem injuriarum condemnari debeat, a nonnullis ex §. 2. J. de His qui sui vel al. jur. explicatur & deciditur. Verum aequum ex principiis Germanicis antiquis jus vitae ac necis ac olim ex jure Romano Dominis competit. v. TACIT. de mor. Germ. Cap. 25. hodie vero non ex dispositione d. Tit. sed principiis Germanorum recentioribus jus vita ac necis non competit: potestas vero modica homines proprios & servos mercenarios vel verbis vel verberibus coercendi regulariter est penes

G 2

Domini

Dominos, RHETZ. in *Disp. de Miseric. intemp. cap. 4. n. 28.*
in quibusdam autem provinciis ac locis mores eandem potestatem denegant. conf. HOPP. ad *Inst. d. Tit.*
& THOMAS. in *Vsu Pract. Inst. d. t.* Jus detractionis,
vulgo Abzugs: Geld:, est facultas Superiori competens
detrahendi certam portionem de bonis, quae ex nostra
jurisdictione in alium locum transferuntur. v. BERLICH.
part. 3. conclus. 52. SCHVLT. in *addit. ad MODEST. PI-*
STOR. part. 3. quæst. 124. n. 122. SCHEPLIZ. in *consuet.*
March. part. 3. tit. 8. Hujus juris originem nonnulli ex
legibus Romanis deducere conantur, scil. ex *I. 16. ff. de*
Jur. patron. Tit. C. quand. & quibus quarta pars deb. quem
affert SCHWEDER. *Introd. in Jus Publ. part. spec. sect. 3.*
c. 15. §. 24. in specie ex Augulti vicefima hereditatis *I. f.*
C. de Edit. Div. Hadr. toll. j. I. 2. f. 44. ff. d. O. f. ibique
GOTHOFR. in *not.* Sed ille textus loquitur de Jure
Patroni bona liberti ab hoc in fraudem ejus alienata re-
vocandi, iste de quarta hereditatis parte a curia peten-
da, si quis curiali succedit, qui non est decurionum nu-
mero, bic de vicefima parte hereditatum & legatorum,
ob maxima bellorum impendia, detrahenda & fisco in-
ferenda, deinceps Nervæ, Trajani aliorumque
constitutionibus recisa atque reducta, & tandem penitus
sublata. j. BERLICH. *part. 3. concl. 52. n. 3. seqq.* GO-
THOFR. *ad d. I. f. C. de Edit. Div. Hadr. toll.* Vnde sta-
tum apparent nullam esse comparationem inter *I. 16. ff. d.*
Jur. patron. revocationem & nostrum jus detractionis,
quod ad casum translationis bonorum unice pertinet.
Hinc moribus Germanorum & constitutionibus pro-
vincialibus hoc suam dedet originem, sicuti ejusmodi
mores

mores in tota fere Germania vigere testatur GAIL.
L. 2. Obs. 36. n. 9. BESOLD. in Thesaur. Pract. v. Abschöß
MEV. ad Jus Lubec. part. 3. tit. 2. art. 4. n. u. WEHNER.
Obs. Pract. voc. Nachsteuer.

§. VII.

Sæpe vero in superstitionis illa interpretatione fallacia causæ committitur, v. g. O. P. S. Tit. 36. f. *Si wol-*
len jubet, ut vietus in expensas condemnetur, quod ex
jure civili restringendum esse ajunt, nisi justam litigan-
di causam habuerit, per Nov. 82. c. 10. Eo enim casu com-
pensari solent, ita, ut neuter litigantium expensas alteri
restituere teneatur. HARTM. PIST. part. 1. quæst. 11. n. 1.
ENGELBRECHT. ad ff. de Re Jud. tb. 28. Sed hic & re-
gulam & restrictionem ex jure naturali esse, manifestum
est, & confunditur Jus Romanum aut Justinianeum
qua tale sive positivum cum doctrina juris naturalis,
que in eodem occurrit. Sic consensus curatoris femina-
rum Saxoniarum ad exemplum tutorum tempore celebra-
ti negotii interpositus esse debet & ratihabitio, actu cele-
brato, nihil operatur, JACOB. disserr. de curat. mulier.
Sax. bab. Lips. 1688. c. 5. CARPOV. P. 2. C. 15. d. 30. 31.
MENCK. Disp. Process. 6. §. 9. quæ otiosa quidem, sed
molesta quoque est subtilitas. Quid autem in praxi in-
tersit, leges ex propriis declarare an alienis principiis,
tum demum plenius intelligitur, cum ejusmodi casus
in vita civili occurrunt, ubi alter ex jure Romano, alter
ex rationibus domesticis objectum controversum inter-
pretari conatur. Sic jure civili arbor in confinio posita
est communis, quatentus in utriusque vicini fundo radi-
ces

ces egit §.31. J. d. R. D.l.7. s. ult. ff. de A.R. D. adeoque non rami sed radices eo jure spectantur. Vti vero vix crediderim, ulli genti se adprobasse subterraneam illam radicum investigandi rationem, conf. HUBER. in *Præle& ad J. d. R. D.* s. 25. ita moribus Germaniae & imprimis jure Saxonico arbor illius est, in cuius fundo oritur, sic tamen, ut rami pendentes in aere, qui est super aream vicini, sint in hujus domino, aut certe in ejus potestate utendi, ita ut illos succidere possit pro lubitu, SCHNEIDEWEIN in s. si *Tz. tius 31. n. 5. Inst. de Rer. Divis.* WESENBEC. in *parar. ff. de gland. legend.* & fructus decidentes in fundum illius ex rami arborum vicini ab ipsum pertineant, art. 126. *Weichbild art. 52. l. 2. Land. R.* wo ein Baum breitet die Zweige in eines Mannes Hof, der Herr mag ihn wohl verhauen, ob er will: und hieng Obst in seinem Hof, ist zu Recht sein. COLER. part. 1. *Decis. 25. REINH.* part. 6. differ. 12. Atqui ante aliquot annos duo vicini disputabant de successione ramorum in alterius agrum propendentium. Is, in cuius agrum rami porrigebantur, de damno sibi exinde nascituro aut nato questus, ramos propendentes succidere volebat. Sed dominus arborum inter alia, quibus succisionem se prohibere posse putabat, argumento illo præcipue nitebatur, quod jus provinciale, cum utatur vocabulo *Hof*, succidendi facultatem vicino tribuat, saltem intuitu prædii urbani, non rustici, quale objectum controversum hic erat, at vero ne quidem propter identitatem rationis extensionem juris provincialis fieri posse, cuius quippe dispositio esset correctoria juris communis adeoque strictissime

Etissime interpretanda. Verum Facultas Jurid. Vitembergent. in *responso* mens. Mart. 1705. ad consultationem alterius edito ostendebat vocabulum: *Hoff*, lingua Saxonica antiqua utrumque prædium in genuino significatu suo notare. Verba *Responsi*, *huc pertinentia*, *hujus renotis* erant: Wenn nun gleich ihr in den Gedanken stehet, daß die Sächsischen Rechte, so diesfalls verhanden, und nicht von Ackerne, sondern des Nachbars *Hofe* disponiren, auf gegenwärtigen Fall nicht zu ziehen, in Erwegung, daß angeregte *Dispositio juris Saxonici correctoria juris communis* s. 31. *J. de Rer. Divis.* l. 26. s. 2. *D. de A. R. D.* dergleichen *Jura* aber strictissime zu interpretiren, und auf keinen andern Fall, als von welchem sie ausdrücklich verfasset, zu extendiren, l. 14. *D. de LL.* l. 27. *C. de Testam.* -- *Gail.* L. 2. *Obl.* 32. -- dennoch aber und dieweil -- in mehrer Betrachtung, daß das Wort: *Hof* in seinem eigentlichen Verstande ein jedes *prædium*, folgentlich auch die *Acker* bedeutet, v. *Webner*. *Pract. Observ.* H. v. *Hoff*, und auf diese Maße insgemein von denen Rechts-Gelehrten obige *Jura* interpretiret werden, *Carpov.* p. 3. c. 32. def. 25. *Coler.* p. 2. dec. 25. -- So erscheint daraus allenhalben so viel, daß ihr die Abhauung solcher Aeste eurem Nachbar mit Verstande Rechtens nicht verwehren mögen. *B. R. W.* v. *WERNHER.* *obl.* p. 2. *obl.* 426. Aut quid dicendum fuisset, si vocabulum *Hoff* lingua Saxonica saltem notaret *prædium urbanum*, nonne interpretatio extensiva locum habuisset? putem, cum paritas rationes adsit, extensionem admittendam esse. Nam vulgaris opinio, quod

quod jura Saxonica ex jure civili sint declaranda aut
plane restringenda, nullo fundamento nititur, nisi veteri
illa superstitione, qua multi jus Romanum velut oracu-
lum venerantur, nec latum ab eo unguem discedunt.
Deinde veritati non est consentaneum, quod jus Roma-
num a Saxonico corrigatur. vid. PHILIPP. *Uf. Pr. f. l.2.*
Eelog. 31. ARVM. ad A.B. Disc. 4. §. 16. in fin. Disc. 6. §. 33.
Nam (1) stat juri Saxonico sua auctoritas præ jure ci-
vili in locis, ubi antiquitus illud obtinuit, nec juris ci-
vilis ibi alia, quam subsidiaria erit auctoritas, nisi pro-
batum, explosas esse Saxonum consuetudines, & jus ci-
vile ibi exclusive esse receptum. Exemplum hujus rei
novissimum Ducatus Magdeburgicus suppeditat, ex quo
jus Saxonum proscriptum & ejus loco Romanum in-
troductum est. BERG. *Uf. a.7. pag. 71.* (2) Jus Roma-
num in Germania actu primo eo usque receptum cen-
setur, quoad juri patrio non adversatur. (3) Si est jus
Saxonum antiquum, scire velim quomodo lex anti-
quior possit corrigere legem postea demum receptam.
(4) Si est jus Saxonum Electorale novum, cur hoc,
utpote jus principale, corrigat jus aliquod extraneum
subsidiarium? nam qui aliquid recipit in subsidium, is
illud hactenus in statu quo relinquit & asservat, donec
usus ejusdem aliquando fuerit necessarius: illa igitur
juris Romani a jure Saxonico facta correctio in nuda va-
naque speculatione consistit. Denique & hoc falsum est,
quod jura correctoria sint stricte interpretanda. Nam
leges correctoriae æque aptæ sunt ad recipiendam inter-
pretationem laxam & strictam, hinc non saltet ad id
respiciendum est, quod sint correctorie, sed ex consuetis
inter-

interpretandi fundamentis judicandum, in quem sensum illæ sint accipiendæ. v. TITII Observ. Lauterbach. 312.

§. VIII.

Notabile declarationis ex jure Romano factæ exemplum occurrit in contractu mutui, ubi quæritur, an usuræ currant a die numerationis, von der Zeit des Darlehns, an demum ex die institutæ actionis, von der Zeit der erhobenen Klage? Quod usus contractum illum principiumque germanicum, quo ille dirigitur, ex jure Romano explicare, nec usuras, nisi ex pacto R. I. d. An. 1654. §. Unreichend die künftigen Zinsen 174. aut mora in pecunia solutione adhibita R. I. d. An. 1600. §. Sod viel nun 139. adjudicare soleat, BERG. ad Lauterb. pag. 493. STRYK. ad Lauterb. pag. 643. ad verb. sensus. ECKOLT. ad Tit. ff. de Vsur. §. 6. in fin. cognitum perspectumque habeo, quid natura contractus ex principio Germanico suadeat, etiam constat. Verum est, quod Jure Romano usuræ non debebantur, nisi per stipulationem, h.e. solemnem contractum verbalem, promissæ l. 3. C. de Vsur. l. 11. §. 1. ff. de R. C. l. 17. ff. de pact. l. 9. C. de non num. pecun. l. 24. ff. de P. V. Ratio illius juris est, quia mutuum est contractus realis, §. un. §. d. Obl. quæ ex cons. qui solo consensu expresso vel tacito non perficitur, sed præter consensum rei traditionem requirit, pr. §. quib. mod. re contr. oblig. l. 2. §. 4. ff. de R. C. adeoque conditionem certi ex mutuo non producit nisi quatenus datum est l. 3. C. de Vsur.; deinde quia est stricti juris, adeo, ut neque pactum nudum in continentि adjectum obligationem producere l. 17. pr. ff. de Pact. j. l. 24. ff. de

H

de P. V. licet alias pacta nuda in continentis adjecta vi sua
non destituerentur. 7. f. 5. D. de Pact. Cur autem strictam
interpretationem hic sectati sint Romani, & cur Prætor
in processu antiquo formulario formulam judici peda-
neo dandam illi interpretationi accommodaverit, ejus
rei rationem necessariam haud invenies, nisi forte ma-
ximus usurarum abusus, qui cives Romanos aliquando
vexabat, ut ex TACITO L. 6. annal. c. 16. & CICER.
lib. 5. ad Att. Ep. ult. appareret, eos ad illam legislationem
permovit. Sed non minus verum est, quod contractus
Germanorum ex principio Germanico: Ein Wort,
ein Mann, quod naturale est, & vi cuius quilibet con-
fensus serio datus efficacem obligationem producit, in-
terpretandi, illo etiam jure usi sunt Germani, antequam
jus Romanum iis innotuit, nec verosimile videatur, eos
hac in parte principium juri naturali & candori antiquo
fideique convenientissimum repudiasse, adde, quod alias
communis Doctorum sententia in foro etiam recepta
pacta Romanorum nuda hodie exulare & ex omni pacto
serio & deliberato initio (supposita tamen persona alias
ad contrahendum habili, exclusisque impedimentis
consensus, errore, metu, dolo &c.) validam nasci actio-
nem, STRYK. V. M. ff. de Pact. f. 1. GVDELIN. de J.
Novis. lib. 3. cap. 5. j. GROENWEG. ad L. 10. C. de Pact.
Cessante vero Romanorum principio, cessabit & con-
fectorium, h. e. mutuum apud Germanos non erit con-
tractus realis, sed consensualis, & cum hodie, quanti-
tate usurarum æqua moderadaque R. I. d. A. 1654. f. An-
reichend. Rescript. Torgav. d. A. 1583. t. von Wucherli-
chen Contr. atque Mandat. de die 30. April. 1671. definita;
cessent

cessent incommoda, quibus olim afflita fuit Respublica Romana, cessentque odia inde exorta: hinc mutuum non amplius est contractus stricti juris seu strictae interpretationis, sed bonae fidei, neque jus Flavianum nos exercet; denique cum usu hominum contractus formentur & plerumque mutuum sub lege solvendarum usurarum detur, ideo de exigendis dandisque usuris tacitum regulariter subesse pactum presumendum, ac a die numerationis usura praestanda erit. SCHILTER, Exerc. 35. tb. II, TITIUS in *Jur. priv. L. 4. c. 8. §. 2. & 15.*

§. IX.

Nec est, quod objicias, stante hac hypothesi Germanos non æque humanos fore ac Romanos. Nam hos quidem non ex humanitate, sed ex aliis causis facultatem exigendi usuras stipulationum solemnitati adstrinxisse, antea ostensur est, deinde inverso argumento dicendum, humanitatem & grati animi officium esse, presumere mutuum sceneratitium, inhumanitatem vero esse, re creditoris mutuo accepta non taltem uti sed & gratis uti, inhumanitatem, velle, ut creditor, dominio rei suæ in debitorem translato, fortis consumenda periculum subeat, & velle simul, ut gratis etiam hoc faciat: hinc uti, locationem conductionem sub lege mercedis initam presumere, iniquum non est, ita ob rationes jam datas cum aequitate & humanitate omnino stare poterit, mutui naturam presumere non gratuitam sed sub conditione usuræ solvendæ initam, atque adeo usuram a die numerationis esse praestandam. Interim usus forensis contrariam haec tenus hypothesis secatur,

H 2

&

& in *Consil. bybern. 1684.* supremum Senatum censuisse,
in mutuo usuras deberi demum ex die institutæ actionis,
refert BERGER. in *Oecon. Jur.* L.3. t.9. f.8.

§. X.

Ad rem præsentem forte faciet, commemorare hic interpretationem aliquam privilegii a Rege Bohemiæ ULADISLAO Civitati Gorlicensi die 12. Maj. An. 1496. indulgi, in quo certa forma, mortis causa disponendi, præscripta. Nimurum ultimarum voluntatum negotia multis fraudibus ac circumventionibus rixisque inde ortis antea fuerat exposita: cui malo ut obicem pones Uladislaus, singularem hanc ferebat legem, ut quælibet ultima voluntas aut donatio mortis causa fieret coram duobus minimum & juratis dictæ civitatis seniорibus, Senatusque actuario æq[ue] jurato, iisdem ad hoc rogatis, idque sub pena nullitatis. Quæ vero circa ultimam voluntatem tempore pestis declarandam in eodem privilegio definita sunt, lubens hic prætermitto. Verba tamen privilegii quatenus huc facere videntur, hic apponere juvabit: *Uladislaus Dei Gratia, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae Rex, Marchio Moraviae, Laurenbergensis & Silesiae Dux, Marchio Lusatiae, memoriae commendamus, quibus expedit universis.* Quia intelleximus, Cives, incolas, & habitatores oppidi nostri Gorliz in infirmitate constitutos, ac etiam alios, per nonnullas personas plerumque non sine fraude ac dolo & frustra circumventione bastenus ad restandum inductos esse, ac etiam aliquando adduc induci, debitissimis solennitatibus inibi

inibi minime adhibitis, in beredum ac alias legitime suc-
cedentium non modicum præjudicium, ita, ut etiam ipse
ecclesiastice & aliae persona se aliquando in executores te-
stamentorum depurari procurent, in testamentorum ejus-
modi sive ultimarum voluntatum occultationem, intermis-
sionem & plerumque protelationem: unde saepius varia
lites & controversiae subortae sunt, & suboriri formidan-
tur, in grave damnum & jacturam Reipublicæ ibidem.
Nos igitur fraudibus & dolis hujusmodi, periculisque
animarum obviare, futuras controversias & errores
præscindere volentes, supplicationibus bumillimis dicto-
rum civium, incolarum & habitatorum inclinati, ipsis
quoque civibus, incolis & habitatoribus de competenti re-
medio providere cupientes, hoc privilegio, perpetuis futu-
ris temporibus valituro, statuimus, ordinamus, maturo
consilio & deliberatione præbabita, & ex certa nostra sci-
entia: quod in quibuscunque testamentis, codicillis, vel
qualibet alia ultima voluntate seu donatione mortis causa,
aut legatis quibuscunque etiam ad pias causas, per cives, in-
colas, habitatores dicti oppidi, sive sanos sive in infirmitate
constitutos, nunc & pro tempore instituendis & ordinandis,
ad minimum DUO & jurati ex CONSULIBUS dicti op-
pedi, nec non ipsorum Consulum SCRIBA, sive NOTA-
RIUS, etiam juratus, ad hoc rogati, in majus robur & fir-
mitatem præmissorum interesse debeant & teneantur: alio-
quin testamenta, codicilli, ultima voluntates, institutiones
beredum, substitutiones vulgares sive pupillares, donatio-
nes, seu legata quæcunque, per quoscunque in dicto oppido
aliter ordinatae & instituta, nullius sunt roboris ac momenti.
Cætera vide in celeberr. Dn. GROSSERI Laufzischen

H 3

Merck-

Merckwürdigkeiten, Part. I. pag. 158. 159. ubi totum exstat privilegium.

§ XI.

Nunc ut ad scopum deveniamus, casum a *Scab. Lips. Mens. Dec. 1701*, ad interrogationem decisum hic supponere libet. Uxor hortulanij cujusdam Gorlicensis, morti vicina, marito praesenti injunxerat, ut suæ, ex sorore nepti æque praesenti post suam mortem vel binos in agro Gorlicensi communi opera ac impensa quæsitos hortos cum 300. thaleris reliqueret, vel ipsi 300. thaleros solveret. Promiserat id uxori maritus, & jurato promiserat, sed eadem mortua viduus personæ honoratae præstanta præstare recusabat. Quærebatur, utrum forma testandi privilegio sancita, in praesenti vero casu non observata, ultima voluntas esset invalida, an privilegio non obstante ex *I. f. C. de Fideicomiss.* qua ultima voluntas hæredi praesenti, ut fideicommissum præstet, declarata subsistit, nec aliud, nisi legitima probatio requiritur, agi posset? Affirmabant quæstionem laudati Jcti obsequentes decidendi rationes: d. a. d. alle Privilegia, so von den gemeinen Rechten abweichen, strictissime nur von den Fällen, davon sie deutlich reden, anzunehmen, und dannenhero nicht das für zu halten, daß der legislator denjenigen besondern modum disponendi juris civilis, in quo ipse heres sibi judex constitutur, wolle verworffen haben, absonderlich da der finis privilegii, ut fraudes & dolii, futuræque lites, rixæ, controversies & errores præscindantur, ebensals erhalten wird; der ganze Context auch angezogenen privilegii ausweiset, daß es nur von denen Casibus handele, da durch glaub:

glaubwürdige Personen ein letzter Wille darzuthun, nicht aber wie durch die Eides-Delation so fort der Sachen abhelfliche masse gegeben werden möge; So wäre Helena Ebelin über angeregtes fideicommiss Elsen Wincklern, des angezogenen Privilegii ungeacht, den Eid nach Anleitung des I. f. C. d. fideicommiss. zu deforieren wohl besugt. vid. RIVIN. ad O. P. S. Tiz. 18. Enunc. 8. pag. 583. seqq. Prima decidendi ratio est, quod privilegia, quae a juri communi recedunt, stricte sint interpretanda, altera, quod, ultima voluntate juxta privilegium I. f. C. de fideicommiss. declarata, scopus privilegii Uladislai, ut scilicet fraudes & controversiae præcidantur, itidem obtineatur; tertia, quod ex toto privilegii contextu pateat, de iis saltem voluntatibus ultimis, quarum veritas per homines fide dignos probari debet, non de aliis, quarum probatio juramento statim expediri potest, sermonem esse.

§. XII.

Affirmarem cum Dn. SCABINIS quaestionem, sed, salvo rebus existimantium judicio, putaverim, in sola ratione secunda & tertia decisionis cardinem verti, pri-
mam vero, si de juribus Romanis in commune subsidi-
dium receptis intelligatur, otiosam aut per fallaciam
causæ hic suppositam esse. Nam in praesenti casu ad
privilegii sententiam & interpretationem res reddit. Oc-
casio & causa impellens laudatae ordinationis erant fra-
udes & solemnitatum ultimis voluntatibus adhibendarum
neglectus, scopus autem, ut dolus rixæque vel impedi-
rentur, vel præciderentur. Ex his sequitur, legislato-
rem ad illos, casus, ubi ex voto testatoris legantis auf-
donan-

donantis ultima voluntas testimonio hominum fide dignorum stare debet, variae autem fraudes intervenire acli-
tes exinde oriri solent, respexisse, circa illum vero casum,
ubi veritas sola heredis aut legatarii scientia nititur, solaque
juramenti delatione ostendi potest, nihil disposuisse; nam
in hoc ultimam voluntatem declarandi modo ipse heres
sibi judex constituitur, sic cessant fraudes & rixæ; juris-
jurandi delatione heredi facta, veritas expediri potest,
sic preciduntur lites: ac proinde utroque respectu obti-
netur finis privilegio intentus, licet modus in eodem de-
terminatus abfuerit. Jam si casus controversus in lau-
dato privilegio definitus non est, merito ejus decisio ex
alio jure desumitur. Et vero jus Romanum in d. l. rem
expeditiv, hinc salvo privilegio illud in subsidium vo-
cari potest v. BERGER. *Oecon. jur. lib. 1. tit. I. §. 28. n. 1.*
pag. 33. CARPZOV. *Prax. Crim. Q. 42. num. 25. & P. 3.*
Decis. 288. num. 20. Jus Romanum igitur privilegium
non restringit, quod per fallaciam dictum esse vide-
tur, sed supplet. Ac ut speciatim circa rationem pri-
mam obseruem, quod observandum videtur, vulga-
tum illud, quod justa statutaria ita sint accipienda, ut
quam minimum a jure communi abeant, TIRAQVELL.
de LL. connybrial. gloss. 2. n. 23. post. pr. JAC. SCHULT.
lib. 2. quæst. præf. 6. n. 32. & seqq. in se quidem verum
*est, quippe jura particularia permisisse censetur Imper-
rans, salva, quantum fieri potest, juris communis &*
*principalis auctoritate: sed a vulgari superstitione regu-
lam istam, intuitu juris Romani, male applicari existi-
mem. Jus Romanum enim non est jus commune princí-
pale, sed commune subsidiarium, ex quo jura domestica,*

utut

utut singularia, non restringuntur, sed saltim supple-
tur: quod ultimum sane in allato questionis casu & in-
tuitu privilegii Goricensis factum est.

§. XIII.

Antequam finiamus hanc de Interpretatione, ex
alianis principiis petita, meditationem, subnecere pla-
cket affinem de feudis Lusatricis observationem, quæ
licet ad interpretationem superstitionis propriæ non per-
tineat, tamen, quantum intersit ex rationibus domesti-
cis rem explicare, ostendet. Notum est, feuda Lu-
satrica esse *alienabilia* ex privilegio FERDINANDI de
Ao. 1544. & quod Iargius est MAXIMILIANI II. de Ao.
1575. add. ORDINAT. FEVD. JOH. GEORG. I. de
Ao. 1653. §. Anlangende die Clausul. Reservatum tamen
est *jus negotiorum eius* illis agnatis, qui ex privilegio Maxi-
miliani usque ad septimum gradum jus succedendi im-
petrarunt, uti cautum legitur in *Ordinat. feudali* §. Als
erklären wir, verbis: Dieweil aber in unser confirmir-
ten Lands- und Amts- Ordnung gewisse Verschung we-
gen der Näher Geltung und Verkauffs des nächsten
agenten in alienationibus judicialibus gethan, lassen
mir es billig, so viel das *jus protimeseos* anbelanget,
dabey verbleiben, nam *Ordin. provincialis* de Ao. 1583.
diserte cavit: In Versetzung und Verkauffung der
Güter sollen dieselbe denen Mitbelehnten gegönnet und
vor andern gelassen werden. *An vero Domino quoque*
Jus negotiorum eius competat, quæstio oritur. Nihil hac de
re diserte cautum est in jure feudal Lusatico. Unde
JCTi celeberrimi hic dissentunt, referente THOMASIO
in *Dissert. de Feudo alien.* Jam A. 1679. JCTi Francofurtenses

I

Domi-

Domino jur *προτιμήσεως* abjudicarunt, duabus rationibus in eam sententiam duci (1) quod possessoribus Lusaticeis absque Domini consensu libertas feudum alienandi competit & (2) eo ipso Domino jus *προτιμήσεως* ademptum sit. Sed JCTis Vitenbergensibus anno 1701. in responso, ab Excell. HORNIO in Append. 2. n. 1. ad *Jurispr. feudal.* relato, ad quod communiter provocari solet, longe aliter visum est. Hi enim jus *προτιμήσεως* Domino quatuor potissimum rationibus afferuerunt, nimirum (1) quod Domino id debeatur ex jure communi 2. f. 9. neque illi negatum sit per jura specialia Lusatiae (2) quod jus *προτιμήσεως* in omni feudo, etiam improprio, Domino competit, atque in favore consolidationis fundatum sit arg. l. f. C. d. bon. *Emphyt.* & arg. 2. f. 9. f. *donare*, uti vero dominium directum ad naturam & essentialia feudi pertineat, ita jus *προτιμήσεως* ejus sit consecutarium (3) quod feuda in uno impropria, v. g. quoad alienabilitatem, maneant tamen propria in altero scil. in dominio directo & jure *προτιμήσεως* (4) a jure alienandi ad jus protoemtionis non sit necessaria consecutio, cum hoc illi non officiat.

§. XIV.

Si nostram qualecumque sententiam addere licet, existimarem, superesse quædam fundamenta in institutis Lusaticeis obvia, ob quæ Domino laudatam *προτιμήσεως* denegandum videatur. Antequam vero eo progressiamur, circa rationes antea allatas pauca adnotare lubet. Rationes responsi Francofurtensis a JCTis Vitenbergensibus refutatas esse putem; quod deinceps, quod ad horum fundamenta, quibus protoemtionem Domino vindicandi

vindicant, attinet, primum recte se habet, nam, si verum est, quod hic deficiant rationes domesticæ, merito ex jure subsidiario decisio desumitur, aut etiam ex jure communi vel Electorali Saxonico, atque sic bene se habebunt rationes reliquæ; nam ex consueta feudorum natura illæ utique fluunt. Verum si indolem feudorum Lusatiorum, ut par est, ex jure publico speciali h. e. statu Lusatiae publico, ad quem in quæstione de sensu legum privatuarum utique respiciendum est, repeatas: tum abesse quidem nequit dominium directum, sed quoad jus προτιμήσεος aliter fortassis pronunciandum erit. Nam in sunt hujus provincie rationibus quædam singularia, sive nobilitatem Lusatiae spectes, sive civitates municipales. Ad statuum provincialium auctoritatem & splendorem composita est territorium regendi & justitiam administrandi ratio, in comitiis & consiliis ad rem publicam pertinentibus magna est procerum auctoritas, & licet iis non competit sententia decidens, suffragium tamen eorum deliberativum negligi non solet, controversiæ feudales non in curia Domini, sed coram Præside provinciæ, a Domino adhibitis proceribus legitimate constituto, dirimuntur, ac, nisi res sit maximi momenti, non ad Dominum territorialem atque directum, sed a Judice ordinario provinciæ ad eundem appellatur & id genus alia. conf. LVDEWIG. Opuscul. Mischel. P. 1. L. 2. Opusc. 3. de Differ. feud. Lusat. atque comm. Different. 27. 28. 29. Ex quibus colligi posse videtur, jus προτιμήσεος, quod Domino alias competit, Lusatiae institutis inconcinnum & Domino abjudicandum videri. Nam stante ea, quam ante

retulimus, hypothesi, e re ordinum est, ne feudorum in provincia numerus diminuatur, ne onus accescat reliquis, & ordinum omnium decrescat auctoritas & robur in provincialibus comitiis, id quod sensim fieri posset, si favore consolidationis cum dominio directo feuda coniungerentur, in quam sententiam jam inclinavit LVDEWIG. d. l. Different. 23. Quod si haec non videantur satis liquida, evidentius forte argumentum dabit, quod Lusatia bonorum domanialium sit nescia. vid. Dn. LVDEWIG. d. l. Different. 24. lit. (bb) Nam si marchionatus Lusatiae a domaniis est alienus, talia vero emergerent, si dominus feudal is, qui simul territorialis est, vi juris περιμήσεως statuum feuda sibi acquireret, verosimillimum est, ob singularem provinciæ a domaniis libertatem, protoemtionem feudorum alienandorum Domino non competere. Nec est, quod objicias, feuda Lusatiae, ut alia, Domino fieri aperta, per privilegium Maximiliani d. Ao. 1575. §. Darum wir, verbis: Doch uns, unsern Nachkommen, und der Eron Böheim, an Regalien, Folgen, Diensten und Fälligkeiten, die sich außer dieser unser Begnadigung an uns erledigen möchten, & iminente apertura feudum alienari non posse, nisi Dominus consentiat, aut vasallus utatur specialiori illo Ferdinandi privilegio, quod vocatur der Vorritt d. 21. Febr. 1544. indulto, & postea in Ord. feudal. §. Wir lassen aber, confirmato, add. STRYK. Dissert. de Feud. Luf. §. 25. 26. 28. Nam ex apertura feudi necessario non sequitur, quod penes dominum illud deinceps maneat, sequitur autem ex institutis Lusatiae antea laudatis ac speciatim ex defectu domaniorum, quod

quod feuda Lusatia sint res *infeudari solitae ac aperta*
aliis iterum conferenda. Verum hæc nostra tantum est
opinio, quæ mentem ea in re defixam subit, nec veri-
tati nec aliis melius sentientibus temere obtrudenda.

§. XV.

Supereft, ut Illum interpretationis superstitione
speciem videamus, quæ jura non quidem ex alienis
& incongruis principiis, superficiariæ tamen, explicat,
aut explicationem plane omittit. v. §. 3. Nimirum ob
cœcum, quo multi in leges feruntur, amorem verba,
prout jacent, crude accipiunt, captant, aut modo nimis
restringendo eas, modo nimis extendendo, in utram-
que partem peccant, nulla habita circumstantiarum,
æquitatis aut prudentiæ ratione, nullo habito ad legum
rationem respectu. Sic superflitiosa est interpretatio
I.f. C. de Temp. in integr. restit. quando vulgaris doctrina
regulam universalem exinde conficit, quasi vero
omnis restitutio petenda sit intra *quadriennium*, a tem-
pore sublatæ cause, quæ eam meruit, computandum.
Nam quadriennium illud ad castus pertinet, in quibus
præscriptio principalis longiori temporis spatio definita
est. Quid enim si contra præscriptionem exigui tempo-
ris, ut menstruam (qualis occurrit in redhibitoria, quæ
duobus aut sex etiam mensibus præscribitur. *I. 2. C. de*
Ædil. Action. l. 28. 38. pr. ff. d. Ædil. Edict.) vel annalis
(e.g. quando jure Saxon. res mobilis anno & die, *Weithb.*
art. 21. Land-R. l. 2. art. 29. jure civili actiones ædil. æstili-
matoriaæ anno utili præscribuntur) restitutio danda sit?
Tum sane absurdum foret, si spatium petendæ resti-
tutionis ipsa præscriptione principali foret longius.

I 3

Resti-

Restitutio igitur intra modicum tempus, quod alias præscriptioni principali præstitutum est, suscipienda erit. conf. TITII *Jus priv.* L. i. c. 18. §. 14. quod etiam adverte se videtur BRUNN. ad l. 26. ff. ex quib. cauf. maj. num. 10. & SCHOEPF. in *Synops.* Tit. d. rest. in integr. n. 9.

§. XVI.

Nec minus insigne circa clausulam codicillarum superstitionis specimen se offert. Quantum hæc testamentis adjecta operetur, notum est. Ita testamentis adpias causas, militum & parentum inter liberos, ob illorum favorem præsumitur, licet non sit adjecta BERGER. in *Oecon. Jur.* pag. 357. & 444. CARPZ. l. 6. Resp. 7. FAB. in *Codic.* l. 6. t. 5. d. 7. n. 2. Quod ad cetera testamenta, in dubio illa non præsumitur. Cur non? Puto ex superstitione, quæ credit in l. i. 13. §. 1. ff. d. jur. codicill. l. ult. §. 1. C. Eod. l. pen. ff. f. ff. de Legat. 2. l. 41. §. 3. ff. de Vulg. & popill. subſt. præsumptionem illam haud admissam esse. Alias enim si testator eam neque adjecit, neque repudiavit, h. e. si nullo indicio declaravit, se voluisse testamentum tantum, non vero codicillos condere, merito illa præsumenda foret. Enim stultus esset testator, qui nollet, ut testamentum, quod præter ejus voluntatem forte non valet, minimum in codicillum convertatur; nam quivis in dubio censeri debet maluisse, ut actus aliquo modo valeat, quam ut plane sit irritus. Non obstant leges allegatae: nam id saltem ex iis apparet, quod clausula non sit præsumenda, si constet defunctum voluisse tantum facere testamentum, aut quod memorata clausula diserte adjici queat, non vero ex iis colligi potest,

quod

quod clausula codicillaris in dubio præsumi non debeat. Certe usus nonnullorum locorum sententiam hactenus defensam adprobat. Ita enim HUBER. *in posit. ad J. de Codicill. n. 19.* In foro tamen vel clausula codicillaris subintelligitur vel saltem vitiosa dispositio pro codicillo habetur, et si testator voluntatem suam vocaverit testamentum, quia sub voce testamenti & codicillos intelligunt. SANDE lib. 4. tit. 1. d. 12.

§. XVII.

Non autem circa leges extraneas tantum, sed & domesticas quoque superstitiosa interpretatio nugatur. Sic P. 2. *Constit. Sax. Elect.* 43. dicit: Nach dem die Ehestiftungen contract seynd, so ist es auch genung, wenn zween Zeugen oder drey dabey gewesen, da es aber mit den Ehe-Stiftungen die Gelegenheit hätte, daß sie in vim contractus nicht können erhalten noch beschützt werden, als: die Erbschaft auf den Todes-Fall darinnen ver macht, und es seyn fünf oder mehr Zeugen dabey gewesen, so sollen solche Ehe-Stiftungen in vim ultimæ voluntatis frästig erkandt werden. Quam male hanc constitutionem sepe interpretata sit supersticio, non semel docuit experientia. Ipse memini, paucis ab hinc annis, occasione pactorum dotalium, inter alia acriter disceptatum fuisse partim de sensu legis, partim de nonnullorum verborum adhibitorum sensu. Nam conjuges pactis dotalibus sine testibus celebratis soli subscriperant, ac in ipso instrumenti tenore verbum: ver machen, forte adhibuerant; marito deinceps mortuo & lite super successione exorta, pars adversa verba constitutionis: wenn zween oder drey Zeugen dabey gewesen, capta.

captabat, ac si ad omnia pacta dotalia sine discriminine duo tresve testes requirentur, præsentem igitur conventionem, si foret conventio, ob testes non adhibitos invalidam esse; præterea ob intercurrens verbulum: vermachē; causabatur, illo non tam pactum, quam ultimam voluntatem declaratam fuisse, adeoque vel ex hoc capite, cum desicerent quinque testes, negotium irritum esse. v. STRYK. Tr. de Succ. ab Intest. diff. 8. c. 5. §. 7. & Cautel. Contract. S. 3. c. 8. §. 21. KOHL. de Pa^t. dotal. p. 2. n. 3. 4.

§. XVIII.

Verum omni lite carere potuissent partes, si ab adversario legis pactique contextus cum ratione leviter saltem fuisse examinatus. Nam constitutio diserte dicit, pacta dotalia esse contractus. Ergo si sunt contractus, aestimari quoque debent ex natura contractuum. Ad hos vero non præcise requiruntur testes, sed tunc demum iis opus est, si probatio aliter fieri nequit, quam per testes. Quis autem testes exiget, si partes conventionem in scripturam redegerint eique propria manu subscripserint, cum hac ratione propria utriusque confessio rem conficiat. Idem sane dicendum de pactis dotalibus in vim contractus celebratis, nempe tunc demum duo testes requiruntur, si de propria & scripta utriusque partis confessione non constet, sed per testes probatio facienda sit: atque hoc, non alio fine in dicta constitutione testium facta est mentio. Nunc utra, quæso, interpretatio plus rationis habet? an illa, quæ in dubio legem & negotia humana ab otiosis restrictionibus liberat, an quæ involvit magis & tricatur? Quod ad verbulum:

bulum: vermachten sive legare, magis videndum erat, quid actum, quam quid scriptum fuerit, cum pacientium intentio ex conjunctis v. g. quod bona alteri data esse, penes eum manere, jura quævis contra pacta ista dotalia forte competentia dimissa esse debeant, satis appareat, non in modum ultimæ voluntatis, sed contractus conventionem factam esse, hinc neque verbulum vermachten captandum, sed juxta circumstantias antea memoratas explicandum erat, in quam sententiam quoque Facultas Jurid. Lips. conventæ partis Advocato sub nomine Salomonis Friderici Bergmanni interroganti Mensl. Aug. 1716. respondit: Wollet ihr wissen, ob die Chestiftung, so Caius Sulpitius und a Johann Hieronyme mit einander abgeredet, zu Recht beständig sey oder nicht. Ob nun wohl angeführt wird, daß bey erwehnter Chestiftung keine Zeugen, noch von Seiten der Braut ein Curator zugegen gewesen, sondern beyde Verlobte nur allein solche unterschrieben und besiegelt, da doch dieselbe berührte Chestiftung, indem darinmit bey der Disposition über dasjenige, was ein Ehegatte von dem andern auf den Todesfall haben solle, das Wort vermachten gebrauchet worden, per modum ultimæ voluntatis aufgerichtet hätten, und zu dergleichen Chestiftung fünf Zeugen nothwendig erfodert würden, dahero, daß in deren Ermangelung sie vor gültig nicht zu achten wäre, es das Ansehen gewinner; Dennoch aber und dieweil, daß gedachte Chestiftung per modum ultimæ voluntatis gemacht sey, nicht erscheinet, vielmehr daß selbige in vim contractus abgehandelt worden, daraus, daß dem überlebenden Ehegatten alles

alles und jedes, was der Verstorbene besessen, gänzlich überlassen seyn und verbleiben sollte, die pacienten auch aller ihnen darwieder zu statten kommenden Rechte sich begeben, gnüglich abzunehmen, und nach solchen das zum Überfluss beygefügte Wort vermachten zu erklären ist, wozu einige Zeugen so schlechterdings nicht requiriret, sondern dieselben nur merioris probationis causa dabey gebrauchet werden, zumahl da hier Sulpitius die Chestiftung durch und durch mit eigener Hand geschrieben, und sie hernach nebst seiner Braut vollzogen, nebst dem ermelbten Sulpitii Anverwandte besagte Chestiftung deswegen, daß Johanna ohne Einwilligung eines Curatoris solche eingegangen, nicht ansehnen mögen, in Betrachtung, daß er Sulpitius dieselbe vor gültig angewommen, darüber verstorben, und sie als dessen angehaftete Erben seinem facto nicht zu wieder leben können, überditz die Wittbe ermeldete Chestiftung auch nach ihres Mannes Todes agnosciret; so mag mehr angereigte Chestiftung zu Recht vor beständig wohl geachtet werden.

§. XIX.

Gravis quoque est illa supersticio, quæ rei judicatae μεμολυνεῖον adorando nomen divinum in vanum assumit. Id quod probatum dabimus. In quaestione est, an actor diffessionem juratam probatione contraria v. g. comparatione literarum aut testium depositio ne impedit queat. Negat hoc usus forensis in processu executivo. BERGER. ad O. P. S. Tit. 25. Obs. 5. p. 770. inf. RIVIN. ad d. r. En. 31. nisi exceptio perjurii sit

sit liquida. v. IDEM ad Tit. 28. En. 37. Admittit vero probationem contrariam in processu ordinario O. P. S. Tit. 25. §. 4. Da aber, quod tamen Scabini Lipsienses apud RIVIN. d. l. Tit. 25. En. 29. ad tempus, quo sententia recognoscere aut dissiteri jubens nondum abiit in rem judicatam, restringunt, post sententiam vero, quæ vires rei judicatae consecuta est, illam variationem non admittendam esse existimant. Verum sive exceptio perjurii sit liquida, sive illiquida, omni casu æquitati & religioni magis consentaneum est, actorem volentem ad jus suum aliis mediis demonstrandum admittere. Nam (1) iniquum est, auctore invito jura ejus committere soli adversæ partis fidei, irreligiosum vero est, temere jurare, irreligiosum, temere & sine gravi causa jusjurandum poscere, nec refert, sive pars, sive judex hoc faciat. (2.) Tacita, quæ vulgo prætextur, conventione v. RIVIN. ad O. P. S. Tit. 25. En. 27. pag. 989. in præjud. verb: Durch welche Convention ihr auch non obstat, tamdiu enim hæc imperfæcta est, quamdiu auctori nondum innotuit, quid facturus sit reus, cum huic in ipso recognitionis facienda termino adhuc competit electio, utrum recognoscere, an dissiteri velit, at quomodo perfecta esse potest conventio, ubi de mente alerius partis &, quid electurus sit, nondum constat. (3) Neminem rei judicatae inania terrere debent, nam in præfenti negotio ejus auctoritas reum stringit, non auctorem, quandoquidem hic ante lapsum decendi nondum scire poruit, quam viam ingressurus sit reus. Et quid amplius? (4) religionis præcepta semper probationem contrariam admittere jubent, quoties perjurii committendi

tendi suspicio subest, illud igitur fortius esse debet rei
judicatae terriculo.

§. XX.

Speciatim, quod ad processum executivum attinet,
ejus indoles probationi contrariae non obstat, BERGER.
ad Tit. 25. Obs. 5. pag. 770. RIVIN. *d. l. En. 31.*
(1) nam celerior procedendi modus in favorem actoris
introductus, non detorqueri debet in ejus odium, quod
tamen contingere, si citra ejus voluntatem jura ab ad-
versarii religione suspenderentur, (2) deinde, si actioni
executiva plane renunciare licet & actionem instituere
ordinariam, *v. RIVIN. d. 2. 25. En. 31. in præjud. daß*
Klägers Suchen wegen der Comparisone literarum
nach Gelegenheit dieses Processus nicht statt hat, son-
dern es wird Beklagter zur eßlichen diffension zugelassen,
es wolte denn Kläger der jetzigen Klage renunciiren, und
eine ordentliche anstellen, damit würde er billig gehö-
ret, *sc. add. BERGER. in Resol. Lauterb. d. Edend. qu. 2.*
neque absurdum erit, processui executivo aliquam par-
tem processus ordinarii aut summarii speciatum sic dicti
immiscere, (3) præcipue cum hac ratione magis matu-
retur controversia, quam si executivo pene absoluto re-
nunciandum & lis a principio suo exordienda sit; (4)
postremo, si denuo indolem processus executivi & irregu-
laritatem haud admittendam urgeas, tanta sane non
erit vis hujus processus, ut neque a præcepto religiosi-
tatis limitationem aut exceptionem patiatur, satis erit
avertere committendum perjurium, quam processui
executivo cœcam obedientiam praestare; satius, modum
procedendi executivum ita explicare, ut religionis
exceptio-

exceptionem admittat, quam nomen divinum profanare & religionem negligere. Aliquando tane religio eluctatur, ut in nostram sententiam tum a Facult. Theologum Jurid. Lips. ad Consistorium Altenb. Mens. April. 1720. in causa Reckenrothi contra Görckchen responsum est. Nam licet reo purgatorium consentiente actrice injunctum & sententia vires rei judicatae consecuta esset, tamen actrix, cum intentionem suam semiplene interim probasset & suspicionem perjurii reo objiceret, non obstante rei judicatae, ad quam rei advocatus provocabat, ad suppletorium admittebatur. Alias vero plerumque aliis moribus vivitur hocque principio: *Fiat superstitione & pereat religio.*

§. XXI.

Restant adhuc nonnulla circa superstitionem juri-dicam, quæ in applicatione legum commititur, dicenda. Quid autem per applicationem superstitionis speciatim intelligatur, id ex Cap. I. cognosci poterit. Scilicet applicatio superstitionis est, quæ ex nimia reverentia & admiratione legum positivarum exorta leges & facta vel non recte confert, vel facta etiam collatione inconcinnam aut plane noxiā moralitatem producit arque exequitur.

§. XXII.

Est præsens quidem argumentum, si non copio-sius præcedente, tamen æque copiosum: interim no-bis hic esse licebit brevioribus. Nam & intellectu faci-liora sunt omnia & plerumque cum interpretatione su-perstitionis conjuncta, ut uno perspecto alterum simul cognitum evadat, & malæ interpretationis consectorium sit applicatio mala. Neque tamen separata hujus con-
K 3 sidera-

sideratio prætermittenda videtur, cum applicatio aliquando magis emineat. Interdum applicatio bene se habere posset, fallit autem interpretatio & ex hac deinceps absurdia sequitur applicatio: interdum licet veram supponas interpretationem, absurdia tamen erit applicatio; illo casu vitium magis est in interpretatione, hoc, in applicatione.

§. XXIII.

Sic nuper in manus venit dissertatio quædam de *Exhereditatione filiæ turpiter viventis*, ubi Auctor verba Nov. 15. c. 3. §. 1. in corpus suum peccare, captans, manifesto demonstrari posse putabat, exhereditationis fulmini subiectam esse filiam, etiam si non sit meretrice, sed corporis sui copiam semel tantum alicubi fecerit: cum tamen totus l. 19. C. de inoff. test. authent. subjectæ & d. Novellæ contextus ostendat, sermonem esse de filia, quæ flagitiosam fœditatem, vitamque luxuriosam seu, ut indoles vocabuli insinuat, meretriciam elegerit. Præterea ideo in corpus suum femina peccare dicitur, quod corpus commercio exponit, liberum vero corpus aestimationem non recipiat l. 3. ff. Si quadr. paup. l. f. ff. de his qui ef. Nunc si ad filiam stuprum semel passam applicetur ista doctrina, applicatio non potest non esse absurdæ: sed vitium principale non tam in applicatione, quam in interpretatione superstitione latere, manifestum est. E contrario multi satis intelligunt, distinctionem bonæ fidei & stricti juris potissimum ex hypothesi pactorum nudorum & instituto judicum pedaneorum, processu quæ formulario profluere, neque naturam negotiorum juxta usum gentium & æquitatem naturalem spectatam,

tam, a lege civili sic formatam, interpretationem strictam præcipere, ac ea, quæ ex hac hypothesi stricte explicantur, ex indole sua & æquitate interpretationem latiorem vel exigere, vel non respuerere: & tamen ita multos occupavit superstitione, ut usum illius divisionis ac interpretationis modernum afferant, bonamque fidem agentium turbent, modo ne ex quisquiliis Romanis aliquid dimittant. Sed ad rem ipsam proprius accedendum est.

§. XXIV.

Et quidem invita sæpe Germania legum extranearum usus asseritur. Quod tota fere de jurisdictione doctrina, prout hæc in Corpore Juris Romano Justiniane traditur, unamque rem publicam & statum monarchicum, nec non peculiare jurisdictionis institutum præsupponit, in Germania nullum usum habeat, & tamen incaute passim applicari soleat, Dn THOMAS. in not. ad ff. de Jurid. STRYK. in U. M. d. t. TITIUS in Obf. Lauterb. d. t. BEYER. in pos. ad ff. ibid. monuerunt. Ita Proconsules Romani in provincias suas proficiscentes, simul ac urbem egressi, in quavis civitate intermedia actus jurisdictionis voluntariae, non vero contentiose exercere potuerunt. 1. 2. ff. de Offic. Proc. Quæ sanctio unam rem publ. & imperantem supremum supponit. Penes hunc enim pro independenti suo imperio stat, quam jurisdictionem magistratibus suis concedere velit. Quis vero Præsidem Provinciæ Lusatice, den Land-Woigt in Laufz, in provinciam suam aut consullem Lipiensem in civitatem suam per terras Brandenburgicas tendentem in civitate quadam Brandenburgica emancipationes, manumissiones aliosque jure-

ejus generis actus vi potestatis a Cæsare sibi datæ exercere posse crediderit? Nam majestatica sua jura Proceres imperii non ab Imperatoris concessione, sed ex legibus provincialibus derivant, ac instrumento pacis Osnabrugensis ita illis firmata est superioritas territorialis, ut singuli suo nomine territoria regant, nec alter alterius circulos turbare debeat v. *J. P. O. art. 8. Cap. Leopold. art. 3.* Interim tamen ex iis, quæ a Dn. BERGERO in *Oeconom. Jur. L. 4. T. 3. f. 1.* referuntur, omnino apparet, disceptatum fuisse, utrum hodieque jurisdictionis voluntaria in territorio alieno exerceri queat, & decisionem ad tacitam quandam ordinum Imperii conventionem rediisse. Id quod, nisi conventionis existentia probetur, merito negandum nobis videtur. Tam molesta enim conventio ex communi hominum Procerumque affectu haud presumenda. Si vero jurisdictionis voluntaria in alieno territorio exercitæ casus aliquando contigit, certe ex ultronea admissione & humanitate hoc factum esse, credendum est.

§. XXV.

Neque cessat ea, quæ hic notatur, supersticio in applicatione legum domesticarum. Nam uti leges Germanicæ antiquæ nonnunquam sine gravi causa nimis contemnuntur, ita ex diverso sancta antiquitas aliquando sine ratione adoratur. Nota est in processu ordinario *Guaranda Die Gewehr*, cautio, qua actor stipulata manu vel tangendo judicis baculum promittit, se non solum libellum non esse mutaturum, sed & reum contra omnes alios ob eandem causam agere volentes defensurum. *Landr. L. 1. art. 63. L. 2. art. 15. add. Resol. Grav. de Ao. 1661.*

Tit.

*Tit. von Justitiæ Sachen §. Wiewohl 17. O. P. S. Tit. 12.
Part. i. Conſtit. Elecſt. Sax. ii.* Restius definiveris otiosam
& inanem solemnitatem. Quod facile concedent, qui
conditionem legum Germanicarum antiquarum accu-
ratius rimati sunt. Ut ut vero in processu hodierno gua-
randa sit usitatissima, & olim publica quoque sanctione
præcepta: illud tamen certum est, eam rectius aboleri,
quam conservari & hodienum applicari. Nam mutatio
libelli quoisque sit permitta, id vel ex natura processus
vel ex Ord. Proc. v. g. O. P. S. Tit. 5. §. f. apparet, &, si
juxta vulgarem dicti Paragraphi explicationem, tamdiu
refusis expensis libellum mutare licet, quamdiu senten-
tia, qua actori injungitur probatio, nondum in rem ju-
dicatam transit; quod, quæſo, opus est tanto apparatu
exigere vel urgere guarandam? Ut vero actor reum
defendat adversus idem ex eadem causa deinceps peten-
tes, hoc juris naturalis est. Nam & actoris interest, &
reus, si actor non solum rem processu exactam sibi habere,
sed eum quoque ab aliis ob eandem causam conventum
indefensum relinquere vellet, nimis läderetur: de cœ-
tero unquam eo nomine actum esse, se non audivisse
ingenuæ fatetur MOLLER. ad P. i. Conſtit. Elecſt. Sax. 4. n. 4.
& forte nec post Mollerum alii id se audivisse testari po-
terunt. Interim ita in foro servatur. Nec satis fuit, in
processu ordinario antiquitatibus illis inhærere, nam
ad processum summarium illa quoque fuit extensa. v.
WERNHER. P. i. Obj. 126. BERGER. in Disc. forens.
p. 417. seqq. & Suppl. P. i. p. 152. Forte etiam talia non
semper ex venerandæ antiquitatis cultu, sed ex principiis
rabulisticis servantur ipsisque legibus inseruntur, siqui-
dem

dem multi in vanis ejusmodi ceremoniis artem forensem positam esse credunt. Et sic in re seria, administratione nempe justitiæ, ludere par est.

§. XXVI.

Liceat circa celebrem illam rerum geradicarum successionem Landr. Lib. 1. a. 5. 24. Weichb. a. 53. 57. in f. quædam huc facientia notare. Geradæ origo ex antiquissima Anglionum & Werinorum lege originem habet, juxta quam hereditatem defuncti filius non filia suscipiebat, & si filium non haberet, qui defunctus erat, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero & vestis bellica ad proximum paternæ generationis consanguineum pertinebat; Mater etiam moriens filio terram, mancipia & pecuniam dimittit, filiæ vero spolia colli h. e. monilia, vestes, armillas vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse; quæ ornamenta dicta sunt Rredo v. Cod. leg. antiqu. Germ. ab HEROLDO & LINDENBRO-GIO edit. ac speciatim Leg. Anglion. Tit. de Alodibus Tit. 6. c. 1. s. 6. 8. Tit. 7. c. 3. Quæ succedendi ratio sine dubio temporis illius simplicitati, moribus bellicis & exiguae tam rerum expeditoriarum, quam utensilium sive geradicarum conditioni fuit accommoda. Cum vero illa omnia hodie & quoad institutum bellicum, & quoad rerum quantitatem atque pretium, nimium quantum sint immutata, ratio consuetudinis cesseret, & ad præsentia Germaniæ instituta illi succedendi ratio minime quadret, sed varias difficultates, incertitudinem & inæqualitatem in successione aliisque negotiis civilibus gignat: quis conservationem illius antiquitatis & applicationis congruam esse dixerit? Hinc satis foret, illud institutum antiquum penitus abrogare.

§. XXVII.

§. XXVII.

Nonnunquam supersticio leges privatas domesticas aut etiam extraneas ad rationes Imperii publicas, aut alias ad Imperium applicat. At jura privata ad negotia privata pertinent, ad publica non quadrant. Et uti alii Imperantes, ita & status imperii legibus privatis sunt soluti, nisi liquida facta submissionis prostent indicia, v. g. in definitione majorenitatis, quæ jus Romanum sequitur, v. VITRIAR. L. 3. Tit. n. §. 8. L. 2. Tit. 20. §. 28. TITII S. J. P. L. 4. c. 6. §. 19. vel status imperii certo respectu veri subditi sint, quæ qualitas se exerit, quatenus per modum imperii contra eos in judiciis communibus v. g. judicio camerale proceditur, adeoque cum legibus judicariis ad Jurisprudentiam privatam illi pertinent. Conf. TITII S. J. P. L. 7. c. 45. Ad declarandam vero incautam legum privatarum applicacionem vel unicum sufficiet exemplum. Ita KNIPSCHILD. Tr. de Jur. & Priv. Civ. Imp. L. 2. c. 4. n. 100. seqq. & LIMNAEUS T. 1. L. 2. c. 9. n. 140. Statibus imperii Jus legitimandi in dubium vocare conantur ob l. 1. 2. C. d. Jur. aureor. annal. imprimis Nov. 74. c. 2. Nov. 89. c. 9. 10. Sed superioritas territorialis anilem superstitionem sola destruit.

§. XXVIII.

Interdum quoque superstiosa applicatio, etsi leges statui publico aut institutis domesticis repugnantibus non applicet, vitia tamen legum positivarum non attendit, sed veram Jurisprudentiam in iis positam existimat, adeoque leges vel manifeste iniquas, & otiosis restrictionibus molestissimisque ambagibus laborantes

fine

L 2

sine omni circumspetione applicat. Neque tamen hæc in eum sensum accipi velim, ac si legum observantiam & applicationem a libitu arbitrioque privatorum dependere putem. Distinguendum enim est inter leges extraneas in rem publicam receptas & domesticas ab ipsis territorialum Germanicorum Imperantibus latae: illæ in subsidium receptæ sunt, nec solida ratione quisquam probare poterit, proceres Germaniæ confusæ & promiscue obligasse Judices atque Collegia Juridica, ut leges extraneas, æquæ sint an iniquæ, prudentes an imprudentes, sine delectu applicent: igitur iis, penes quos applicandi officium est, omnino aliquod arbitrium reliatum esse plane existimo; has vero quod attinet cautius omnino incedendum, & lex, licet dura, tamen haetenus sequenda erit, nam præsto est Imperans, qui vel authentica sua interpretatione, vel mitigatione vel abrogatione incommodis mederi potest. Interim, cum nec semper nec statim casus ratione æquitatis aut utilitatis dubii ad Eum deferri queant, is usui forensi manus non adeo ligasse censeri debet, quo minus circa leges aperte duras aut otiosas æquitati civiumque utilitati aliquid dare liceat. Sic v. g. arrestum Saxonicum in scriptis petendum est per O. P. S. *Tir. 48. f. 1. in med. verb.* Da sie erstlich den Kummer schriftlich angeleget und derselbe gerichtlich registriret worden; sed usus fori ob periculum in mora, favorem commerctorum, & restrictionem, ut scripto arrestum impetretur, minime necessariam etiam admittit arrestum ore tenus impetratum. v. BERGER. *Disc. for. p. 1637.* Et sane usus forensis contra Principis auctoritatem minime peccaret, si in applicatione

catione O. P. S. Tit. 18. §. 9. verb. auf den Fall aber, vi
cujus Juramentum calumniæ cum relato simul præ-
standum, magis officii religionis, quam legis humanæ
rationem habeat, qua de re alio fine supra dixi, adducto
BERGER. in Oecon. Jur. pag. 112. nota 2. consentiente.

§. XIX.

Sed intuitu legum extranearum liberius de isthac
applicatione dici poterit. Jure Romano actio de dejec-
tis & effusis contra heredes non competit l. 5. §. 5. ff. de
His qui eff. sed æquitas exigit, ut ad hos etiam, quatenus
est persecutoria, extendatur: nam delinquens ex bonis
suis damnum resarcire debebat, merito igitur hæc ob-
ligatio transit in heredem illa accipientem. Nec alicuius
momenti est objecatio ex l. 1. §. 2. ff. de Priv. delict. de-
sumta, quod heres defunctum in delictis non repræsen-
tet, nam aliud est delinquere aliud ob delictum satisfa-
cere, illud est illicitum, hoc honestum, ac repræsentan-
dum defunctum omnino aptum; aliud etiam est pecuniam
corporis afflictivam sustinere, aliud damni restitutioñem
facere, illud, quod ad heredem, est iniquum, hoc æquis-
sum. Dura quoque est in novi operis nunciatione
l. unic. C. de Nov. op. nunc. quæ intra mensum spatiū
controversiam de N. O. N. dirimi, & si fieri hoc spatio
nequeat, demum satisfactionem admitti voluit. Verum
illa mora hodie non attendi, sed judicis arbitrio hæc res
relinqui solet, cum ingens ædificaturo emergere preju-
dicium aut nunciatio ex invidia aut calumnia proficiisci
queat. v. l. 12. §. 7. C. de ædif. priv. CARPZ. L. i. Resp. 7.
STRUUV. S. I. C. Exerc. 39. §. 12. quam æquitatem pro-
nunciando quoque observavit F. J. L. Mens. Maj. 1700.

L 3

teste

teste MENCKEN, in *Theor. & Prax. Tit, de Nov. Op.*
Nunc. §. 12.

§. XX.

Sed me prius tempus & locus, quam superstitionis applicationum exempla deficerent: hinc ne superstitione seductus limites dissertationis academicæ transliisse videar, cursus inhibendus est calamo, relinquenda ipsis candidis Lectoribus ad cetera applicatio. Hæc igitur sunt, quæ de superstitione Juridica jam commentari visum est. Si haec tenus dicta superstitionis displiceant, meliora me doceant: malo enim veritatis amans esse, quam superstitosus. Deus autem in Ecclesia religionem, in Curia Justitiam servet, praxin utriusque faustum ac fortunatum esse jubeat, duo autem illa utriusque extrema, atheisticum & superstitionem, atheisticum Juris neglectum & superstitionis ejus abusum sufflaminet, donec cessantibus tandem & improbitatem & errorum insultibus cum æterno veritatis ac justitiae Statore in æternum conjuncti fine superstitione dicamus:


SOLI DEO GLORIA.



Helmesteckl, Diss., 1720







DISSE^{1720, 9 NOV}TATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
SVPERSTITIONE
IVRIDICA IN FORO
ET EXTRA FORVM OBVIA

Vom Juristischen Überglauben
in und außer Gericht.

QVAM
PRAE S I D E
AVGVSTINO LEYSERO

ICto T. T. ACADEMIAE IVLIAE PRORECTOR^E ORDINIS
SVI IAM DECANO ET IN TRIBVNALI
GVELPHICO ADSESSORE

PRO DIGNITATE DOCTORALI

CONSEQVENDA
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

DIE XII. DECEMBER. AN. MDCCXX.

PROPOSVIT

AVCTOR

GOTTLOB WOHLGEMUTH ROTHE
GORL. LVSAT. ADVOCAT. PROVINC. ORD. IVR.

VITEMBERGAE,
RECVSA IN OFFICINA HAKIANA. (II)
MDCCXXXIX.